

Series II. — «ANALECTA OSBM» — Sectio I.  
Серія II. — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Секція I.

---

ALEXANDER BARAN

# EPARCHIA MARAMOROŠIENSIS EIVSQUE UNIO

Ed. 2

ROMAE 1962

---

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT 8 (PIAZZA S. PRISCA)

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO I

Series II. — «ANALECTA OSBM» — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Серія II.

---

*Sectio I:*

# OPERA

vol. XVIII

ALEXANDER BARAN

EPARCHIA MARAMOROSIENSIS EIUSQUE UNIO

ROMAE

Series II. — «ANALECTA OSBM» — Sectio I.  
Серія II. — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Секція I.

---

ALEXANDER BARAN

# EPARCHIA MARAMOROŠIENSIS EIVSQUE UNIO

Ed. 2

ROMAE 1962

---

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT 8 (PIAZZA S. PRISCA)

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, die 13.XII.1963.

P. ATHANASIUS G. WELYKYJ  
*Protoarchimandrita - Superior Generalis*

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 18.XII.1963.

✠ ALOYSIUS Card. Provicarius

## INDEX RERUM

PRAEFATIO . . . . .	vii
FONTES ET BIBLIOGRAPHIA . . . . .	ix
I. FONTES NONDUM EDITI . . . . .	ix
II. FONTES EDITI . . . . .	ix
III. BIBLIOGRAPHIA . . . . .	x
SIGLA ET ABBREVIATIONES . . . . .	xii
INTRODUCTIO . . . . .	1
Art. I. Conditiones politicæ, sociales et religiosæ comitatus Maramorošiensis . . . . .	1
Art. II. Primordia Ecclesiae ritus byzantini in Maramoroš . . . . .	4
Art. III. Episcopalis iurisdictio in fideles Maramorošiensis saeculo XVII . . . . .	10
<b>CAPUT PRIMUM . DE EPARCHIA MARAMOROŠIENSI . . . . .</b>	<b>17</b>
Art. I. Episcopus Josephus Joannes Stojka et ortus eparchiae Maramorošiensis . . . . .	17
Art. II. De activitate episcopi Josephi J. Stojka in eparchia Maramorošiensis . . . . .	22
Art. III. Unio episcopi cum calvinistis . . . . .	25
Art. IV. Depositio atque incarcerationio episcopi . . . . .	31
Art. V. « Episcopatus » Jobi J. Cirka et rehabilitatio ac mors Josephi J. Stojka . . . . .	34
<b>CAPUT SECUNDUM - PRIMA TENTAMINA S. UNIONIS IN EPARCHIA MARAMOROŠIENSI . . . . .</b>	<b>39</b>
Art. I. Episcopus Seraphinus Stephanus Petrovan eiusque primum conamen unionis . . . . .	39
Art. II. Difficultates unionis . . . . .	45
Art. III. Depositio atque incarcerationio episcopi . . . . .	50
Art. IV. Seraphinus S. Petrovan eiusque opus . . . . .	55

CAPUT TERTIUM - UNIO EPARCHIAE MARAMOROŠIENSIS . . .	57
Art. I. Conamina unionistica Mukačoviensium in eparchia Maramorošiensis . . . . .	57
Art. II. Actio unionistica episcopi Georgii G. Bizancij . . . . .	65
Art. III. De eparchiae Maramorošiensis Mukačoviensi adnexu . . . . .	77
Art. IV. De sorte episcopi Dosithei Teodorovyč . . . . .	80
 CAPUT QUARTUM - CONTROVERSIA CIRCA IURISDICTIONEM SUPER FIDELES MARAMOROŠIENSES . . . . .	 85
 CONCLUSIO . . . . .	 99
INDEX NOMINUM . . . . .	103

## PRAEFATIO

Anno 1966 Ecclesia Ucraina bis centum quinquaginta annorum « Unionis Cleri Ucraini Maramorošiensis » celebrabit. Huic jubileo nos quoque adstipulari volumus. Ea de causa hoc modicum opus de historia huius Unionis conficere suscepimus, ut melius valor ac sacrificia Unionis cognoscantur et Ecclesia Catholica huius regionis post hodiernam oppressionem ad pristinum statum restituatur.

In illustranda historia Maramorošiensis eparchiae, pariter ac comitatus, plus quam credi potest historiographi iamdiu laborarunt, nemo tamen eorum opus completum et scientifice sat elaboratum conscribere valuit. Quod ad fontes alibi conservatos attinet, videtur illos sat exploratos ac publice editos fuisse. Quasi omnia documenta antiquae comitatus Maramorošiensis historiae, usque ad saeculum XVI, in diplomatario Joannis Mihályi, nec non in editionibus Georgii Petrovay inveniri possunt. Fontes vero saeculorum XVII-XVIII ac modo speciali vitam ecclesiasticam huius provinciae spectantes, duobus in diplomataris, nempe, Antonii Hodinka et Alexandri Cziple publici facti sunt iuris. Porro, plura documenta, quae historiam ecclesiasticam Maramorošiensem tangunt, apud varios auctores, ut Petrov, Bunea, Nilles, Basilovits et Dulyškovyč, in lucem prodierunt. Recenter autem Athanasius Welykyj, OSBM, collectionem Documentorum Romanorum Ecclesiam Catholicam in terris Ucrainae et Bielarusjæ spectantium edere coepit, ubi documenta nonnulla de Maramorošiensi eparchia inveniuntur. Documenta vero, quae in eius editionibus locum adhuc non habuere, nos ipsi in variis Archivis Romanis, exploratione diligenti praemissa reperuimus.

Ut lectores de ortu ac unione Eparchiae Maramorošiensis imaginem magis magisque claram habere possent, in dissertatione nostra methodum chronologicae descriptionis eventuumque historicorum logicae explicationis secuti sumus. Proinde, ordinem chronologicum sequentes, brevi introductione de generalibus condi-



*tionibus deque submissione fidelium Maramorošiensium usque ad finem saeculi XVII premissa, in capite primo de Maramorošiensis eparchiae institutione ac primo eius episcopo Josepho J. Stojka tractavimus. Secundo vero capite prima conamina unionis huius eparchiae illustrare conati sumus. Denique in tertio ac quarto capite ipsa unio fidelium Maramorošiensium cum Sede Apostolica Romana eorumque iurisdictionalis submitio exposita est.*

*Manet, ut hoc loco magna cum gratitudine gratias Rev.mo Magistro nostro Michaěli Lacko, Soc. Jesu, agamus, pro sua affabili sollicitaque cura dirigendi nos, quippe qui aliis studiis occupatus, suis tamen perutilibus consiliis nobis praesto fuit. Gratias quoque offerimus Rev.mo Athanasio G. Welykyj, OSBM, Vicereктору Collegii S. Josaphat, qui auxilio hisce in paginis conscribendis nobis aderat et opus typis edendum curavit.*

*Romae, die 20 februarii 1959.*

ALEXANDER BARAN

## FONTES ET BIBLIOGRAPHIA

### I. Fontes nondum editi

1. ARCHIVUM SECRETUM VATICANUM (ASV).  
*Acta S. Congregationis Consistorialis anni 1771.*
2. ARCHIVUM S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE (APF)
  - a) *Scritture Originali Riferite nelle Congregazioni Generali*, voll. 580, 581, 584, 636, 648, 659, 669, 671.
  - b) *Scritture riferite nei Congressi Greci di Croazia, Dalmazia, Schiavonia Transilvania, Ungheria*, vol. I (1642-1760).
3. ARCHIVUM ROMANUM SOCIETATIS JESU (ARSJ)  
*Litterae annuae provinciae Austriacae*, anni 1711.
4. ARCHIVUM COLLEGII GRAECORUM IN URBE  
Volumen 14.
5. ARCHIVUM VINDOBONENSE: HAUS-HOF-STAATS-ARCHIV, WIEN  
*Hungarica*, vol. 229.

### II. Fontes editi

- BASILOVITS J., *Brevis notitia foundationis Theodori Koriathovits, olim Ducis de Munkacs, pro Religiosis Ordinis Sancti Basilii Magni, in monte Usernek ad Munkacs, anno MCCCLX factae*, vol. 2, Casoviae 1799-1804.
- DULYŠKOVYČ I., *Istoričeskija čerty Ugro-Russkich*, vol. II-III, Ungvár 1875.
- CZIPLE S., *A Mărmarosî püspökség kérdése*, (pars II: Diplomatarium), Budapest s. n.
- CZIPLE S., *Documente privitoare la episcopia din Maramures*, in *Analele Academiei Romane*, t. XXXVIII (a. 1915-1916), Bucuresti 1916 (Est versio romana documentorum in praecedenti opere publicatorum).
- HODINKA A., *A munkácsi görög szert. püspökség Okmánytára 1458-1715*, Ungvár 1911 (Citabimus Okm.).
- JORGA N., *Studii si documente cu privire la istoria Romanilor*, Bucuresti 1901-13, t. XII.
- KOMÁROMY A., *Mărmaros vármegye jegyzőkönyveiből*, in «Történelmi Tár», a. 1910, pp. 161-186.
- LUKINICH E., *Documenta historiam valachorum in Hungaria illustrantia*, Budapest 1941.

- MIHÁLYI J., *Màrmarosi diplomák a XIV és XV századból*, M-Sziget 1900.
- NILLES N., *Symbolae ad illustrandam historiam Ecclesiae Orientalis in terris Coronae S. Stephani*, voll. 2, Oeniponte 1885.
- PETROV A., *Drevnejšija gramoty po istoriji Karpatorusskoj Cerkvi i jerarchiji 1391-1498*, Praga 1930.
- *Staraja vera i unija v XVII-XVIII vv.*, voll. 2, S. Peterburg 1905-1906.
- WELYKYJ A., *Acta S. C. de Propaganda Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantia*, vol. III, Romae 1954.
- *Litterae S. C. de Propaganda Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantes*, vol. III-IV, Romae 1956-1957.
- *Epistolae Metropolitanorum Catholicorum Cypriani Zochovskij, Leonis Slubicz Zalenskyj, Georgii Vynnyckyj*, Romae 1958.

### III. Bibliographia

- BALOGH M., *A màrmarosi görög szertartásu orosz egyház és vikáriátus története*, Ungvár 1909.
- BIDERMANN I., *Die ungarischen Ruthenen, ihr Wohngebiet, ihr Erwerb und ihre Geschichte*, tt. 2, Innsbruck 1862-1867.
- BOBAK A., *De iure patronatus supremi quoad Ecclesiam Ruthenicam in Hungaria*, Romae 1943.
- BUNEA A., *Vechile episcopii Romanesci*, Blas 1902.
- *Jerarchia Romanilor din Ardeal si Hungaria*, Blas 1904.
- CSÁNKY D., *Màrmarosmegye és az oláhság a XV. században*, in « Századok », a. 1889, vol. VIII, pp. 10-56.
- FIEDLER J., *Beiträge zur Geschichte der Union der Ruthenen in Nord-Ungarn und der Immunität des Clerus derselben*, in « Sitzungsberichte der kaiserlichen Akademie der Wissenschaften », Philosophisch-historische Classe, t. XXXIX-IV, Wien 1862.
- FILIPASCU A., *Istoria Maramuresului*, Bucuresti 1940.
- GATTI C. - KOROLEVSKIJ C., *I Riti e le Chiese Orientali*, Genova 1942.
- HADŽEGA V., *Dodatky k istoriji Rusyniv i ruskych cerkvej v Maramoroši, Užhorod* 1922.
- *Knjaz Fedor Korjatovyč i Maramoroš*, in « Podkarpatska Rus », a. 1931.
- *Prehled církevních dějin na Podkarpatské Rusi*, Bratislava 1936.
- HODINKA A., *A munkácsi görög-katholicus püspökség története*, Budapest 1910 (Citabimus: Tört.).
- *A kárpátaljai ruthének lakóhelye, gazdaságuk és multjuk*, Budapest 1923.
- HOMAN B. - SZEKFÜ GY., *Magyar történet*, tt. I-V, Budapest 1935-1936.
- JORGA N., *Histoire des Roumains de Transylvanie et de Hongrie*, Bucarest 1940.
- KAVULJAK A., *Valaši na Slovensku*, Turč. Sv. Martin 1933, in Sbornik Škultetého, pp. 336-374.

- KRALYCKYJ A., *Spysok monastyrej Cyna Svjatoho Vasylija Velykoho, suščestvujuščykh inohda v Maramoroši, i stertych Imperatorom Josyfom II 1788 h.*, in « Naukovyj Zbornyk », a. 1865, pp. 50-53.
- LACKO M., *Unio Užhorodensis Ruthenorum Carpathicorum cum Ecclesia Catholica*, Romae, 1955.
- LOZOVEI P., *De Metropolitaram Kioviensium Potestate*, Romae 1951 (in manuscripto).
- LUKINICH I., *Erdély területi változásai*, Budapest 1918.
- MÁRKI S., *II Rákóczi Ferencz*, tt. I-III, Budapest 1907-11.  
— *Második Rákóczi Ferencz levelei Mármaros megyéhez*, in « Történelmi Tár », a. 1908.
- MĚSZÁROS K., *A magyarországi oroszok története*, Pesth 1850.
- MIHALYI J., *Tanulmány Mármarosi oklevelekről*, in « Századok », a. 1889, vol. VIII, pp. 57-67.
- PAČOVSKYJ V., *Istorija Pidkarpatskoji Rusy*, Užhorod 1920-1922.
- PAPP GY., *Adalékok De Camillis J. munkácsi püspök működéséhez*, in « Kelel Egyház », a. 1941.  
— *Magyarország Primásának joghatósága és a Görögkatholikus Egyház, Miskolc* 1943.
- PEKAR B., *De erectione canonica Eparchie Mukacoviensis*, Romae 1956.
- PELESZ J., *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom von den ältesten Zeiten bis auf die Gegenwart*, Wien 1878-1880.
- PERFECKYJ E., *Obzor ugro-russkoj istoriografii*, in « Izvestija rus. j. I. A. N. », a. 1914.  
— *Religioznoje dviženije v XVI-om i načale XVII-om vekov v ugorskoj Rusi*, in « Izvestija rus. j. I. A. N. », a. 1915.
- PERFECKYJ E., *Vasylij Tarasovyč, epyskop mukačivskyj. - Do istorii počatkov cerkovnoji uniji v Pidkarpattju*, in « Naukovyj Zbirnyk » Prosvity, Užhorod 1923.  
— *Pečatnaja cerkovno-slavjanskaja kniga Ugorskoj Rusi v XVII i XVIII vekach*, in « Izvestija rus. j. I. A. N. » a. 1916.
- PETROV A., *Otvuk reformaciji v ruskom Zakarpattji XVI v.*, in « Vestnik kralovské české společnosti nauk » a. 1923, Praha 1923.  
— *Duchovno-polemičeskija sočinenija Iereja Michaila Orasvegovskago Andrelly*, Praha 1932.  
— *Urbar*, S. Peterburg 1905.  
— *Pamjatki cerkovno-religioznoj žizni Ugro-russov XVI-XVII vv.*, Petrograd 1921.  
— *Karpatorusskija mežovyja nazvanija*, Praha 1929.
- PETROVAY GY., *Oklevelek Mármaros vármegye történetéhez*, in « Történelmi Tár », a. 1909.  
— *A mármarosi oláhok*, in « Századok », a. 1911.
- PETRUŠEVIČ A., *Svodnaja halicko-russkaja letopis s 1600 po 1700 g.*, Lvov 1874; S 1700 do 1772, L'vov 1887.  
— *Dopolnenie ko svodnoj halicko-russkoj letopisi*, L'vov 1893.

- PODKARPATSKA RUS', *obraz obstojatelstv pryrodných, hospodarskych, polytyčeskych, cerkovnyh i prosvitytelnyh*, New-York 1924.
- SCHAGUNA I., *Geschichte der griechisch-orientalischen Kirche in Oesterreich*, Hermannstadt 1862.
- SCHEMATISMUS *diocesis Munkacsiensis a. 1878*, Ungvarini 1878.
- SUVOROV N., *Učebnik cerkovnago prava*, Moskva 1908.
- SZILAGYI I., *Mármarosmegye általános történetéből (XII-XIII sz.)*, in « Századok », a. 1889, vol. VIII, pp. 10-26.
- TOMCSÁNYI L., *A főkegyur szerepe a püspökök kinevezésénél*, Budapest 1922.
- ŽATKOVIČ J., *Episkopy Maramorosskije*, in « Lystok » 1891.
- ZSATKOVICS GY., *A mármarosi görög szertartásu orosz egyház és vikáriátus története*, Ungvár 1909.

## SIGLA ET ABBREVIATIONES

- APF — Archivum S. Congregationis de Propaganda Fide.
- ARSJ — Archivum Romanum Societatis Jesu.
- ASV — Archivum Secretum Vaticanum.
- Seritt. rif. nei Congressi Greci di C.D.S.T.U.: Scritture riferite nei Congressi Greci di Croazia, Dalmazia, Schiavonia, Transilvania ed Ungheria.

## INTRODUCTIO

### ART. 1. - CONDITIONES POLITICAE, SOCIALES ET RELIGIOSAE COMITATUS MARAMOROŠIENSIS SAEC. XVII-XVIII

Territorium antiquae Hungariae, ut communiter notum est, a saeculo XI in numerosas parvas provincias dividebatur, quae « *comitatus* » denominatae sunt. Una ex talibus provinciis in parte orientali septentrionis antiquae Hungariae fuit provincia vel comitatus Maramorošiensis, seu breviter Maramoroš, de cuius historia ecclesiastica nostra dissertatio tractat.

Comitatus Maramorošiensis extendebatur per 9716 km<sup>2</sup>. Numerus accuratus incolarum fuit secundum statisticam anni 1869 - 220.506, secundum statisticam anni 1890 - 268.855, secundum vero statisticam ultimam anni 1910 - 357.705. Sub aspectu nationali primum locum occupabant ucraini cum 44,5% omnium habitantium, postea romeni cum 23,8 %, germani cum 16,7 % et hungari cum 14 % (1). Cum dissertatio nostra agit de eventibus praesertim saec. XVII exeuntis et XVIII ineuntis, adumbrandae sunt breviter conditiones vitae publicae in Maramoroš eo tempore.

CONDITIONES POLITICAE: Maramoroš, ut talis, medio aevo pro vita politica hungarorum nullum quasi momentum habebat et solummodo saeculis XVI-XVII est theatrum praecipuarum vicissitudinum politicarum in Hungaria. Regnum Hungariae, ineunte saeculo XVI, in situatione valde critica inveniebatur. Post cladem ad Mohacs (1526) et occupationem partis centralis per turcas nobilitas hungara, inter se divisa, duos reges, nempe, Joannem Zapolyai, potentem dominum terrestrem Transylvaniae et Ferdinandum Habsburgicum, Imperatorem Austriae, elegit. Ita etiam territorium antiquae Hungariae, a turcis nondum occupatum, in duas partes divisum est: Joannes Zapolyai eiusque successores regnabant in Transylvania; Hungaria vero superior et parva pars occidentalis Familiae Imperiali Habsbur-

---

(1) REVAI, *Nagy Lexikona*, Budapest 1915, vol. XIII, p. 377.

gorum suberat. Septem autem comitatus, quos inter etiam Maramoroš inveniebatur, territorium inter utramque partem disputatum formabant, quod territorium revera multarum agitationum causa fuit. Hic meminisse iuvabit, praeter bella Joannis Zapolyai, saeculo XVII insurrectiones principum Transylvaniae: Stephani Bocskay (1605-1606), Gabrielis Bethlen (1619-1622), Georgii I Rakoczy (1643-1645), Emerici Tököly (1678-1685) et Francisci II Rakoczi (1703-1711).

Generatim autem dici potest comitatum Maramorošensem, etiam tempore dictarum agitationum, officialiter semper ad Principatum Transylvaniae pertinuisse, usquedum Transylvania, anno 1697, abdicatione ultimi principis, Michaelis II Apafi, perdidit suam independentiam et cum speciali autonomia Imperio Austriaco incorporata est. Comitatus vero Maramorošensis, ut territorium adnexum, sortem Transylvaniae sequebatur.

Finito primo Bello Mundiali (1919) Imperium Habsburgicum diversos inter status dismembratum est. Tali modo et Maramoroš, secundum nationalitatem habitantium, divisum est inter Romaniam et Ucrainam Carpathicam, eo tempore adhuc « Rus' Subcarpathicam », quae, annis 1919-1939 partem faciebat reipublicae Cechoslovakiae, die autem 15 martii 1939 in statum independentem proclamata fuit. Attamen haec independentia longe non duravit, nam post aliquot dies eam occupavit Hungaria et anno 1945 Unio Sovietica.

CONDITIONES SOCIALES: Structura socialis in Hungaria, sicut in omnibus statibus Europae Occidentalis Medio Aevo fuit organisatio feudalis societatis, qua territorium et auctoritas distributa sunt inter dominos terrestres et omnes sodales societatis inter se ligabantur juramento fidelitatis ac mutua praestatione servitii et protectionis. In aetatate Regni Hungariae nobilitas et potestas adhaerebant possessioni fundorum. Itaque solum qui possidebat aliquod territorium, habebat suum ius, fuit nobilis et verus cives huius Regni. Talis est origo nobilitatis fundariae, quae fuit classis specialis et dirigebat totam vitam publicam Hungariae usque ad XIX saeculum.

Ad secundam classem pertinebant cives liberarum civitatum, qui origine erant servi glebae, sed postea a dominis

terrestribus, saepe saepius per servitium militare, liberi declarati sunt, vel alii, qui origine fuerunt alienigenae, ut artistae, mercatores etc., et in Hungariam per contractum iam liberi vocabantur. Denique servi glebae adscripti tertiam classem socialem regni formabant. Eorum autem sors fuit pessima. Quia sine ullo iure pro domino terrestri laborare debebant et nihil proprii possidebant.

In Maramoroš ordo socialis etiam colorem nationalem habuit. Nam hungari, etsi paucissimi, omnes quasi ad nobilitatem pertinebant, dirigebantque totam vitam publicam provinciae (2). Ucraini ac romeni autem maiore ex parte (3) fuerunt servi glebae adscripti et in miserrimo statu culturali atque materiali versabantur.

Propter hanc structuram socialem gravis fuit conditio cleri dissidentis in Maramoroš. Sacerdotes ucraini ac romeni, paucis exceptis (4), ex servis glebae adscriptis oriebantur, et quia non fuerunt catholici, haud fruebantur privilegiis et immunitatibus ecclesiasticis. Talis ideo sacerdos servus glebae familiae nobilis fuit et ad laborem agricolarum adstringebatur, praeterea episcopo quoque determinatam sui redditus partem solvere debebat. Ut hisce obligationibus satisfacere valeret, ad instar ultimi in pago agricolae per totam laborabat diem, neque a simonia saepe abhorruit. De hoc miserrimo statu clerum dissidentem nonnisi Unio cum Ecclesia Catholica liberare potuit. Propterea unum ex motivis principalioribus unionis ineundae fuit praecise desiderium liberandi clerum dissidentem ope et auxilio Ecclesiae Catholicae ex tam misera conditione sociali.

CONDITIONES RELIGIOSAE: Regnum Hungariae, sub primo rege suo, S. Stephano (1001), religionem christianam ab Ecclesia

---

(2) Maxima possessio in Maramoroš fuit « Dominium Bockoviense » familiae Bathory, et sequentium principum Transylvaniae, quae possessio post insurrectionem Francisci II Rakoczi ab Imperatore sequestrata est.

(3) Familiae nobiles ucrainae vel romenae fuerunt: Stan, Uglyay, Stojka, Kričfalusi, Nemeš, Petrovan, Lupul, Conka, etc. Hi autem solummodo 10% populi ucraini ac romeni formabant.

(4) In inquisitione contra episcopum J. J. Stojka solummodo 15 sacerdotes declarati sunt nobiles. Cfr. HODINKA A., *A munkàcsi görög szert. püspökség okmánytára*, Ungvár 1911, pp. 425-433, 434-447, 448-463.



Romana accipiens, integraliter catholicum factum est et, ut tale, usque ad saeculum XVI remansit. Attamen, post cladem ad Mohács ac divisionem regni, in Transylvania protestantismus, primo ut lutheranismus, postea vero sub forma calvinismi, introductus et iam saeculo XVII officialis religio huius principatus declaratus est.

Dissidentes ucraini ac romeni Maramorošiensis comitatus a catholicis, excepto tempore Ludovici I (1342-1382) atque Joannis Hunyady (1444-1446) (5), non disturbati vivebant. Sub dominatione autem principum Transylvaniae, calvinismo addictorum, eorum sors in peius vertit. Nam calvinismus, quippe qui protestantismi secta est omnium maxime activa, dynamica ac militans, sola propagatione novarum idearum acquiescere noluit, sed severam fundans organisationem ecclesiasticam, omnes subditos principatus sub iugo tenere satagebat. Talis oppressio autem dissidentium ex parte calvinismi Ecclesiam ucrainorum ac romenorum in Maramoroš ad veram viam perduxit, ita, ut saeculo XVIII Unio etiam hoc in comitatu restaurata fuit.

## ART. 2. - PRIMORDIA ECCLESIAE RITUS BYZANTINI IN MARAMOROŠ

Quaestio originis fidelium ritus byzantini in Maramoroš nihil aliud est, nisi primordia historiae ucrainorum ac romenorum hoc in territorio.

« Slavi orientales », ad quos populus ruthenus, nomine vero recentiori ucrainus, pertinet (6), secundum historiographorum communem sententiam, regiones Sub-Carpaticas iam a saecu-

---

(5) Sub rege Ludovico I omnes sacerdotes dissidentes ex Hungaria expelli debebant, et insuper imperatum fuit, ne nobiles « schismatici » bona immobilia haberent. Cfr. CZIPLE S., *A Marmarosi püspökség kèrdése*, Budapest s. a., p. 4.

Hunyady Joannes vero ordinavit, ut sacerdotes dissidentes, qui noluisent « schisma » derelinquere, Hungaria expellerentur. Cfr. BUNEA A., *Vechile Episcopii Romanesci a Vadului, Gesagiului, Silvasului, si Belgradului*, Blas 1901, pp. 6-7.

(6) In dissertatione nostra denominationibus modernis, notando simul

lo VIII inhabitare coeperunt, coloniae tamen stabiles huius populi solummodo saeculo XII-XIII ortae sunt (7). Tali modo ucraini partem septentrionalem comitatus Maramorošiensis, usque ad flumen Tibiscum (Tisa), coloniis replere conati sunt et saeculo XIV hic iam numerosos pagos habuere (8).

Adventus valachorum seu romenorum (9) in Maramoroš generatim saeculo XIV ponitur. Etiamsi quaedam tribus romenorum his in territoriis iam saeculo XIII inveniabantur, attamen vera «immigratio valachica» nonnisi saeculo subsequenti locum habuit, quando varii huius populi coetus, ut pastores gregum, recti «iure valachico», lente versus occidentem progrediebantur (10). Praeter praefatos pastores, in Maramoroš etiam nobiles nationis romenicae, sic dicti *vojvodae* veniebant, quos inter nobilis Bohdan, magnus protector dissidentis Ecclesiae, eminuit. Sub directione huius vojvodae numerosi sacerdotes, ex dissidentibus eparchiis Moldaviae ac Haliciae pro fidelibus romenis et ucrainis in provinciam Maramorošiensem venientes, monasteria pluresque parochias, ecclesias et sacella aedificare conabantur. Cum omni probabilitate Hrušoviense monasterium quoque ab isto nobili Bohdan initium suum habuit (11). Prospe-

et antiquas, usi sumus. In denominationibus «Ucraini» et «Romeni» loco antiquarum «Rutheni» et «Valachi» in initiali praesertim periodo, forsitan difficultas aliqua exoriri videatur, sed, tendentiam doctorum modernorum sequendo, immerito increpationem vel animadversionem aliquam mereamur.

(7) PETROV A., *Drevnejšija gramoty po istorii Karpatorusskoj cerkvi i ierarchii 1391-1498 g.*, Praha 1930, p. XI.

(8) IBIDEM, p. 114. Hoc certo confirmatur in documentis, editis ab MIHALYI J., *Mármárosi diplomák a XIV és XV századból*, Marmaros-Sziget 1900.

(9) Nomen «valachus» in documentis huius temporis duplicem significationem habet: 1) stirpem ethnicam, seu hodiernos romenos, 2) castam socialem pastorum migrantium, qui vivebant «iure valachico» (etiam ucraini).

(10) KAVULJAK A., *Valaši na Slovensku*, Turc. Sv. Martin 1933; - In *Sbornik Škultětyho*, pp. 336-374; HOMAN B. - SZEKFU GY., *Magyar történet*, t. III, pp. 141-145. Hi romeni, ut iam dictum est, in Hungaria habebant speciale «ius valachicum», secundum quod exempti erant per 6 annos a tributis. Quapropter ipsi, ut servitutum evitarent, migrabant post 6 annos ab uno domino ad alium.

(11) HODINKA A., *A munkásci görög-katholikus püspökség története*, Budapest 1909, p. 206.

ritas autem haec Ecclesiae dissidentis in Maramoroš haud longe duravit, nam sub rege Hungariae Ludovico I (1342-1382), edicto anni 1366 sacerdotes « schismatici » e regno pulsi sunt et insuper ordinatum erat, ut nobiles dissidentes bonis immobilibus privarentur (12). Ea de causa vojvoda Bohdan, videns intollerantiam regis, in Moldaviam reversus est (13). In eius autem locum, rege Ludovico I vita functo, duo nobiles fratres romeni, Balica (Balk) et Drag, filii vojvodae Sas, qui magnum habebant in organisatione comitatus Maramorošiensis momentum, suffecti sunt. Hi duo vojvodae, propter servitia maximi momenti, regi Hungariae praestita, amplissimas in Maramoroš aliisque provinciis possessiones obtinuerunt et insuper « comites » Maramorošiensis ac Satmariensis comitatum nominati sunt (14). Ad illustrandam molem eorum possessionum notandum est, solummodo in Maramoroš ad has possessiones 34 pagos pertinuisse (15). Ipsi, viri religiosi et « orthodoxi » ferventes, ut antea Bohdan, omnibus viribus suis ad elevationem status Ecclesiae dissidentis in Maramoroš studuere, et praeter erectiones novarum parochiarum, de institutione cuiusdam centri ecclesiastici cogitare coeperunt. Ea de causa, anno 1391, vojvoda Drag Constantinopolim profectus est, ut pro monasterio Hrušoviensi Sti Michaelis a Patriarcha Constantinopolitano protectionem, nec non patriarchalem exemptionem stauropégiacam obtineret. (16).

Patriarcha Constantinopolitanus, nomine Antonius IV (1391-1397), petitioni vojvodae Drag, mense augusto 1391, speciali diplomate emisso, omnino satisfecit. In hoc diplomate

---

(12) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség kerdése*, Budapest s.a., p. 4; LUKINICH E., *Documenta valachorum*, pp. 201-202, 207.

(13) Historiam vojvodae Bohdan describit: PETROVAY GY., *Marmarosi oláhok*, in « Századok », a. 1911, pp. 614-621; JORGA N., *Histoire des Roumains de Transylvanie et de Hongrie*, Bucarest 1940.

(14) MIHALYI J., *Marmarosi diplomák*, p. 73: « Balk vojvodae et Drag, comitibus Maramorosiensis et Zathmariensi... ». Attamen in aliis locis ambo nominantur « Vojvodae Maramorosiensis »; IBIDEM, pp. 56, 69, 87, 117. De causa eorum nominationum loquitur PETROV A., *Drevnejšija gramoty*, pp. 107-108.

(15) PETROV A., *Drevnejšija gramoty*, p. 114.

(16) IBIDEM, pp. 110, 126, 151-152.

inter alia haec habentur verba: « Quia nos Ecclesiam istam ex sincero corde ac cum magno honore in nostram protectionem suscepimus, concedimus eiusmodi Priori ac donamus auctoritatem super omnes proventus dicti monasterii ac pertinentiarum, quae hic infra inseruntur, velut: Zilägysäg, Megyesàlya, Ugotsa, Berzava, Chicho, Bolvanus, Almazig; et in omnibus his nominatis Pachomius Prior et Abbas plenariam auctoritatem exarchi (17) habeat ac superintendentiam ad omnes sacerdotes et ad alios omnes homines, in dicto monasterio ac eiusdem pertinentiis existentes ita, ut eos ad bona opera inducat, et erudiat in illis quae prosunt saluti animae, et indicet omnes causas, ad sedem ecclesiasticam spectantes, secundum leges et sacros canones. Et quod omnes ecclesias extruendas in pertinentiis dicti monasterii ius habeat consecrandi cum stauropegia patriarchali. Et quod in omnibus divinis officiis tum in dicto venerabili monasterio tum in aliis ecclesiis celebrandis, pro suo Patriarcha faciat commemorationem. Et quod, si Priori mori - ut omnes mortales sumus - contigerit, tunc spectabiles fratres Balica et Drag cum consilio monachorum eiusdem monasterii facultatem habeant alium eligendi Priorem (Hegumenum) in locum demortui, et ille etiam habeat potestatem ut exarchus Noster... » (18).

Considerato hoc diplomate, nos sine ulla haesitatione affirmare debemus Patriarcham Constantinopolitanum hac in donatione maiora iura, quam ipse vojvoda Drag expostulabat, dicto monasterio concessisse, cum ille, praeter exemptionem stauropegiacam, Abbatem Hrušoviensem in exarchum monasterii eiusque pertinentiarum promoveret. Hoc modo praefatus patriarcha Constantinopolitanus primae autonomae iurisdictioni in Maramoroš initium posuit.

---

(17) PETROV A., *Drevnejšija gramoty*, pp. 153-154. Auctor et textum originalem graecum, et traductionem latinam, factam anno 1494, in opere suo publice edidit. In paginis vero 126-128 notavit discrepantiam inter textum originalem graecum et traductionem latinam. Secundum textum traductionis Pachomius Prior et Abbas nonnisi « plenariam auctoritatem » habere debuit. Attamen in textu originali clare de auctoritate « exarchi » sermo est. Nos itaque et in aliis locis versionem latinam secundum textum graecum correximus.

(18) PETROV A., *Drevnejšija gramoty*, pp. 153-154.

Quae sunt pertinentiae monasterii S. Michaelis Archangeli in Hrušovo?

Nostris in circumstantiis hodiernis difficulter quaestioni huic responderi potest, nam in documentis, nobis pervenientibus, nihil praecisum vel determinatum invenitur. Secundum sententiam Joannis Mihályi (19) et Alexii Petrov (20), cui nos quoque adstipulari haud haesitamus, pertinentiae hae non tam bona materialia vel possessiones monasterii significant, sed fidelem populum vel ecclesias Maramorošienses aliorumque comitatum, qui et quae iurisdictioni Abbatis huius monasterii, ut exarchae Patriarchae Constantinopolitani, assignabantur. Tenor argumentorum horum auctorum talis esse videtur: « Pertinentiae », in diplomate patriarchali enumeratae, omnes, sine exceptione, extra Maramoroš, in aliis nempe comitatibus, ut Ugočensi, Satmariensi etc., inveniebantur. Scimus tamen ex diplomatibus saeculi XIV et XV, monasterium Hrušoviense extra Maramoroš nulla bona, nullasque possessiones habuisse (21). Ideo praefatae « pertinentiae » bona monasterii Hrušoviensis significare nullo modo potuere. Hae pertinentiae - ut ait A. Petrov - nihil aliud erant, nisi dominia vojvodarum Balica et Drag, quae extra comitatum Maramorošiensem inveniebantur. In diplomate vero patriarchali ad expressam instantiam vojvodarum enumeratae sunt, quia illi, omnes suos subditos, etiam extra Maramoroš degentes, iurisdictioni exarchae monasterii Hrušoviensis subordicare voluerunt (22). Inde, ex argumentatione Alexii Petrov et auctorum communi sententia (23) per se patet ecclesias dissidentes in Maramorošiensi comitatu possessionibusque omnibus

---

(19) MIHÁLYI J., *Mármarosi diplomák*, p. 111.

(20) PETROV A., *Drevnejšija gramoty*, pp. 113-114; Sententiam hanc confirmavit LUKINICH E., *Documenta historiam valachorum*, in « Hungaria illustrația », Budapest 1941, pp. 418-421.

(21) MIHÁLYI J., *Mármarosi diplomák*, p. 306. Ibi agitur de documento ex anno 1438, quo in documento scribitur: « ...possessio ipsorum Kertveles vocata in dicto comitatu Maramarusiensi existens apud manus ipsorum habita... ». Porro rex Hungariae Ladislaus V, anno 1456, solum de possessione Hrušoviensi (Körtvélyes) loquitur. Cfr. *IBIDEM*, pp. 393-394.

(22) PETROV A., *Drevnejšija gramoty*, pp. 113-114.

(23) Huic sententiae adhaerebant praeter Petrov, Mihályi et Lukinich etiam Cziple et Lacko.

vojvodarum Balica et Drag ad finem saeculi XIV iurisdictioni exarchae Hrušovienſis ſubiectas fuiſſe.

Quae ſpectant quaestionem nationalem, nulla fuit uſque ad ſecundum dimidium ſaeculi XV divergentia inter ucrainos ac romenos in Maramoroſ; nam 1) in liturgia utraque natio eadem lingua palaeoslava utebatur et 2) in ipſo monaſterio Hrušovienſi monachi ucraini ac romeni permiscebantur (24).

Ad finem tamen ſaeculi XV pro ucrainis Hungariae ſep-  
tentrionalis, in vicino comitatu Beregienſi, erecta eſt Mukačovienſis eparchia, cuius primus epiſcopus Joannes, inde ab anno 1494, omnes ucrainos Maramoroſienſes ſimulque monaſterium Hrušovienſe ſuae iurisdictioni ſubiicere contendebat (25). Hilarius, Abbas huius monaſterii contemporaneus, contra actionem epiſcopi Joannis auxilium regis Hungariae implorabat, quod et die 14 maji 1494 plene obtinuit. Hac die rex Vladislaus II duobus decretis actionem epiſcopi Joannis reprobavit exemptionemque ſtauropegiacam ac iura monaſterii Hrušovienſis iterum rata habuit (26). Hoc modo independentia dicti monaſterii eiſque iurisdictione ſuper eccleſias comitatus Maramoroſienſis etiam primis temporibus eparchie Mukačovienſis ſine mutatione permanniſſe videtur. Status hic autem rerum brevi tantummodo tempore duravit, nam ſucceſſores primi epiſcopi Mukačovienſis pro obtinenda iurisdictione ſuper monaſterium Hrušovienſe maiori cum instantia, quam ipſe epiſcopus Joannes, contendebant. Anno, ſcilicet, 1556, Larius (27) epiſcopus Mukačovienſis per decretum Officialium ſtatus Hungariae ſeptentrionalis monaſterium hoc ſuae plenae poteſtati ſubiectum obtinuit, hiſce decretalibus verbis: « Misimus iſthic in medium veſtri reverendum Larium epiſcopum Ruthenum, ut clauſtrum S. Michaelis iſthic exiſtens ingredi curamque clauſtri et animarum veſtrarum habere debeat. Quare com-

---

(24) Ex. gr. Anno 1456, in primo documento regis Ladislai V. de hoc monaſterio ſcribitur, ut de « Claſtro Rutheno ». Cf. MIHÁLYI J., *Mármaroſi diplomák*, p. 377.

(25) PETROV A., *Drevnejſija gramoty*, pp. 172-175; HODINKA A., *Okm.*, p. 10.

(26) PETROV A., *Drevnejſija gramoty*, p. 174.

(27) Eius nomen fuit probabiler Hilarius.

mittimus vobis, ut praefatum Larium episcopum in dictum claustrum immittere universasque res et bona claustrum tam mobilia, quam immobilia secundum regestum in manus eiusdem dare debeatis... » (28).

Inde a momento executionis huius decreti monasterium Hrušovienne usque ad suam destructionem saeculo XVII (29), semper sub episcoporum Mukačoviensium iurisdictione manebat eiusque exarchatus omnino oblivioni datus est.

ART. 3. - EPISCOPALIS IURISDICTIO IN FIDELES MARAMOROSIENSES SAECULO XVII

Hoc in articulo iuridicum ecclesiae dissidentis in Maramoros statum eiusque submissionem usque ad novam eparchiae institutionem describere intendimus. Antequam autem directe in medias res prosiliamus, liceat quaedam ad faciliorem eorum, quae dicenda veniunt, intelligentiam praefari. Iam capite antecedente diximus, ucrainos comitatus Maramorošiensis fideles, secundo saeculi XVI dimidio, simul cum Hrušovieni monasterio eparchiae Mukačoviensi adscriptos esse. Ab isto tempore episcopi Mukačovienses, ut antiquam ecclesiasticam Maramorošiensium autonomiam quodammodo insinuarent saeculo XVII titulo quoque « Maramorošiensis episcopi » constanter uti sunt (30). Verum enim vero, optima initia deinde, teste historia, in abusum declinaverunt, quatenus romeni sentimento nationali ducti ad habendum proprium episcopum ius sibi vindicabant. Tali modo saeculo XVII insimul binos episcopos « Maramorošiensis episcopi » titulum gerentes, sine ulla legalitate ac legitimitate, videre fas est. Nil mirum proinde, si in talibus rerum

---

(28) HODINKA A., *Okm.*, p. 16.

(29) Monasterium destructum est tempore insurrectionis Emerici Tököly (1678-1685).

(30) Talem titulum vidimus apud episcopum Sergium, Joannem Hryhorovyč, Basilium Tarasovyč, et Joanicium Zejkan. Attamen assumptio tituli « episcopi Maramorošiensis » ab his episcopis non significavit, quod illi episcopatum Maramorošiensem, ut talem, agnoscebant, sed hunc titulum solum ut « contitulum » adoperabant.

adiunctis non tam clara ac sensim sine sensu omnino confusa fuit submitio ecclesiastica Maramorošiensis in provincia.

Initio autem saeculi XVII, tempore episcopi Mukačoviensis Sergii, romeni quoque Maramorošiensis comitatus, sedi Mukačoviensi subiecti esse videntur. Sergius, ut ex documentis constat, fuit natione romenus, superior monasterii Tismanensis in Valachia et anno 1600, a principe Michaele Valacho, eo tempore totam Transylvaniam occupante, in episcopum Mukačoviensem nominatus est (31). Ipse eparchiam Mukačoviensem sine interruptione usque ad annum 1607 gubernavit et cum tollerantia nationali ac benevolentia omnes suos fideles amplectebatur (32). Hoc anno autem, propter domini Mukačoviensis Francisci Măgăcsy intollerantiam, Sergius et postea eius successor e Mukačoviensi eparchia aufugere coacti sunt (33). Romeni Maramorošiensis hanc iniustam domini Mukačoviensis contra personam episcopi Sergii actionem, ut hostilem romenis actionem considerabant, et propterea ad principem Transylvaniae sese appellarunt, ut Maramorošienses ecclesias non Mukačoviensi, sed alio episcopo, romeno, subordinaret. Hac de causa, die 29 aprilis 1608, Gabriel Bathory, Transylvaniae princeps, episcopo Spiridoni, a Sigismundo Bathory anno 1585 in romenorum episcopum comitatuum Torda, Kolozs, Doboka, et Szolnok nominato (34), Maramorošiensis quoque subiecit romenos: « Eundem Spiridonem in eisdem comitatibus Thorda, Kolos, Deboca, Zolnok et mediocri ac Crasna et Maramoroš existentium Ecclesiarum Valachium Episcopum creandum et ordinandum duximus... » (35). Ecclesiastica autem hac subordi-

---

(31) LACKO M., *Unio Uzhorodensis Ruthenorum Carpathicorum cum Ecclesia Catholica*, Roma 1955, pp. 42-43.

(32) Eius tollerantia videtur in epistola ad Thomam Kendi, provisorem arcis Chust, ubi Sergius omnes nationes eparchiae Mukačoviensis enumerat. Cfr. HODINKA A., *Okm.*, p. 46.

(33) In processu iudiciali contra episcopum Basilium Tarasovyč tres testes affirmant, tempore domini Francisci Măgăcsi (1606-1612) duos episcopos Mukačovienses e sede episcopali aufugisse. Cfr. HODINKA A., *Okm.*, pp. 98, 122, 126.

(34) BUNEA A., *Vechile episcopii Romanesci*, Blas 1902, pp. 57-58.

(35) *IBIDEM*, p. 77.



natione dissidentes Maramorošiensis comitatus duas in partes divisi sunt.

Mortuo tamen Francisco Mågòcsy (1612), expulsoque anno 1614 episcopo Sophronio Rečko (36), Sergius, per aliquot annos, ad sedem Mukačoviensem reversus est et, cum omni probabilitate, romenos Maramorošienses iterum suae subiecit iurisdictioni (37). Hoc non obstante, Sergius ne hac vice quidem in sede Mukačoviensi fortunam habuit, cum anno 1619 eparchiam hanc iam modo definitivo relinquere deberet (38). Eiusque discessu novae circa episcopatum Mukačoviensem calamitates ortae sunt, ita, ut nonnisi anno 1623 quidam Petronius, a principe Transylvaniae, Gabriele Bethlen, in novum episcopum pro « Bereg, Ungh, Zabolh nec non Zempliniensi, Marmarusiensi et Sarosiensi nominatis comitatibus » confirmatus est (39). Episcopatus autem Petronii haud longe duravit, cum, anno 1627, hic princeps Joannem Hryhorovyč in episcopum « Munkaciensem et Maramorošiensem » nominaret (40). Attamen Hryhorovyč iam solummodo ucrainos Maramorošiensis comitatus sub sua iurisdictione habuit. Pro romenorum gubernatione, de facto, anno 1628, missus est episcopus Dositheus, a principe Transylvaniae a sua sede Alba-Julieniensi expulsus (41).

Anno 1637, Dositheo episcopo vita functo, romeni Maramorošienses, defatigati perpetua episcoporum extraneorum vocatione, unum ex nobilibus huius provinciae sacerdotibus, nempe Demetrium Pap in novum « Maramorošiensem » episcopum elegerunt (42). Iste Demetrius autem, nec officialem a

(36) Annis 1613-1614 Mukačoviensem Eparchiam quidam Sophronius Rečko rexit, qui a possessore Mukačoviensi Nicolao Eszterhàzy ex Ucraina Carpatica pulsus est. Cfr. HODINKA A., *Okm.*, pp. 121, 123, 125.

(37) Anno 1616 Sergius ut episcopus iterum invenitur in monasterio Mukačoviensi. Cfr. HODINKA A., *Okm.*, pp. 47-48.

(38) LACKO M., *Unio Užhorodensis*, p. 45.

(39) HODINKA A., *Okm.*, pp. 53-54.

(40) IBIDEM, pp. 57-60. In omnibus documentis latinis nomen huius episcopi scribitur: Gregorovez vel Gregory. Nos tamen utimur transcriptione ucrainica, secundum quam eius nomen est Hryhorovyč.

(41) BUNEA A., *Vechile episcopii...*, p. 78; CZIPLE S., *A Măr.*, pp. 17-19.

(42) CZIPLE S., *A Marmarosi püsöpökseg*, p. 16; BUNEA A., *Vechile episcopii...*, p. 78.

principe Transylvaniae nominationem, nec consecrationem a quodam dissidente episcopo obtinere potuit, et ideo breve post tempus depositus est (43).

Anno 1639, romeni Maramorošienses iterum suberant eparchiae Mukačoviensi, nam hoc anno, per intromissionem principis Georgii Ràkòczy, in diæta comitatus Maramorošiensis, episcopus Mukačoviensis, Basilius Tarasovyč, qui anno 1634 a principe etiam pro comitatu Maramorošiensi nominationem obtinuit (44), ut episcopus omnium dissidentium in Maramoroš agnitus est (45). Sed brevi tantum tempore hanc provinciam regere potuit. Postquam enim mense decembri anno 1640 propter propositam sibi cum catholicis unionem incarceratus est (46), comitatus Maramorošiensis a principe Transylvaniae novum petebat episcopum. Itaque, anno 1641, Georgius Ràkòczy episcopum romenum Alba-Juliensem Stephanum Simonovič etiam in episcopum Maramorošiensem nominavit fidelesque romenos in Maramoroš eius iurisdictioni subiecit (47).

Episcopus autem Albae-Julienensis Stephanus Simonovič parum occupabatur de Maramorošiensi comitatu, propterea princeps Rakoczy anno 1645 quemdam hegumenum Silvestrum ad regendam Maramorošiensem ecclesiam misit (48). Hic Silvester non fuit consecratus episcopus, nam in unico suo documento solum titulum hegumeni gerit (49), sed cum omni probabilitate fuit vicarius episcopi Albae-Julienensis. Anno 1652 Georgius Ràkòczy II presbyterum Simeonem (Petraško in « epi-

---

(43) Ipse nunquam fuit consecratus, quia in omnibus documentis primo ut presbyter nominatur: « Nobilis Demetrius Pap, presbyter possessionis Majjszin et episcopus graecae sectae in comitatu nostro... ». Cfr. CZIFLE S., *A Marmorosi püspökség...*, p. 73.

Ultimum documentum de hoc « episcopo » die 25 decembris 1637 habemus, IBIDEM.

(44) HODINKA A., *Okm.*, pp. 63-65.

(45) CZIFLE S., *A Marmorosi püspökség...*, p. 75; KOMÁROMY A., *Marmoros vármegye jegyzőkönyveiből*, in « Történelmi Tár », a. 1910, p. 163.

(46) LACKO M., *Unio Užhorodensis...*, pp. 62-76.

(47) KOMÁROMY A., *Marmoros várm.*, p. 163. « A vármegye gyűlésén közhirre tették, hogy I Ràkòczy György fejedelem a marmorosi ladikaságot a fejevári ladikának adományozta ». Hoc scribitur anno 1641.

(48) CZIFLE S., *A Marmorosi püspökség...*, pp. 76-77.

(49) IBIDEM.

scopum » districtus Maramoroš-Sihotensis promovit (50). Petraško tamen non fuit episcopus consecratus ac districtum supranominatum solum ad instar superintendentium calvinistarum rexit. Deinde ab anno 1653 in comitatu Maramorošiensi vidimus episcopum Michaellem Molodec, a nemine nominatum. Secundum sententiam Alexandri Cziplé, Molodec fuit episcopus extraneus et vagus, cuius episcopalis legitimitas a comitatu non semper tollerata est (51).

Post talem confusionem circa iurisdictionem episcopalem super ecclesias romenas Maramorošienses, anno 1662, princeps Transylvaniae, Michael Apafi Savam Brankovič in episcopum Albam-Juliensem et Maramorošiensem nominavit (52), qui episcopus iam sine aliis praetendentibus romenos huius provinciae usque ad annum 1680 gubernavit.

Interea in eparchia Mukačoviensi magnae mutationes ortae sunt. Unione Užhorodensi anno 1646 conclusa, eparchia in duas partes divisa remansit. Pars occidentalis, quae ad Imperium Austriacum pertinebat, nempe, in comitatibus Uh, Zemplin, Sabolč, Spiš, Sariš, Gemer, Turna et Abov, accepit unionem. E contra, subditi principum protestanticorum Transylvaniae in comitatibus Bereh, Ugoča, Maramoroš et Satmar in schismate manebant. Itaque, Basilio Tarasovyč vita functo, anno 1651 duo episcopi ad sedem Mukačoviensem nominati ac consecrati sunt, id est, Parthenius Petrovyč pro unitis et Joanicus Zejkan pro dissidentibus. Conditio autem Joanicii Zejkan semper peior deveniebat, nam principissa Sophia Bathory, vidua Georgii II Ràkòczy, anno 1661 ad catholicam fidem revertens, totum Beregiensem comitatum ad unionem perduxit. Porro, circa annum 1664, quando comitatus quoque Satmariensis integraliter unitus fuit, pro Joancio Zejkan remansit solum pars comitatus Ugočensis ac Maramoroš (53). In his territoriis episcopus Joanicus, ne etiam hic unio progredire posset, magnam evolvit activitatem, ita, ut mortuo episcopo Alba-Juliensi Sava Branko-

(50) CIPARIU T., *Archivu pentru filologia si istoria*, a. 1867, p. 610.

(51) CZIPLÉ S., *A Mârmarosî püspökség...*, pp. 23-26.

(52) KOMÁROMY A., *Mârmaros vârm...*, p. 169; CZIPLÉ S., *A Mârmarosî püspökség*, p. 25.

(53) LACKO M., *Unio Užhorodensis...*, p. 158.

vič (1680), ipse et romenos Maramorošienses regere coepit. Tali modo ultimis annis vitae suae, Joanicus Zejkan, sicut antea episcopi Sergius ac Basilius Tarasovyč, omnes dissidentes Maramorošiensis comitatus suae iurisdictioni submitit (54).

Mortuo episcopo Joancio anno 1686, monachus dissidens Mukačoviensis, Methodius Rakovecky, qui tempore insurrectionis Emerici Tököly, anno 1678, hegumenus huius monasterii factus est, praetendebat ad episcopatum Mukačoviensem (55). Ipse autem a neonominato episcopo unito Mukačoviensi Josepho Joanne De Camillis, anno 1689, a monasterio Mukačoviensi expulsus est (56). Methodius ideo abiit in Maramoroš, ut saltem partem adhuc dissidentem eparchiae gubernare posset. Tamen nec ibi eum fortuna adiuvaré voluit, nam in Maramoroš anno 1690 episcopus proprius, Josephus Joannes Stojka, electus et a principe Transylvaniae confirmatus est.

Nos ita, ad conclusionem huius articuli pervenientes, ex pictis declarare possumus, saeculo XVII usque ad annum 1690 nullum fuisse episcopum autonomum Maramorošiensem rite nominatum et consecratum. Titulus vero « episcopi Maramorošiensis » aut episcopo Mukačoviensi, aut Alba-Julienensi adiunctus fuit.

---

(54) Propter controversiam de iurisdictione in Maramoroš inter romenam ucrainamque hierarchiam, anno 1725, facta est inquisitio hac de re auxilio officialium huius comitatus. Auditi sunt 38 testes, qui quasi unanimiter comprobant Joanicum Zejkan in toto Maramoroš plenariam iurisdictionem exercuisse. Cfr. DULYŠKOVYČ I., *Istoričeskija čerty Ugro-Russkich*, Ungvar 1874-1877, vol. III, pp. 64-72.

(55) PETROV A., *Staraja vera i unija*, S. Peterburg 1906, vol. II, pp. 27-30; HODINKA A., *Okm.*, p. 277.

(56) ARCHIVUM S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE (APF), *Scritture riferite nei Congressi Greci di C.D.S.T.U.*, vol. I, f. 117.



## CAPUT PRIMUM

### DE EPARCHIA MARAMOROŠIENSI

In introductione iam vidimus, ad annum 1690, sive eparchiam Maramorošiensem, sive eius autonomum episcopum non extitisse. Nempe Mukačovienses et Alba-Juliienses episcopi, iurisdictionem super fideles comitatus Maramorošiensis exercentes, titulum « Maramorošiensis episcopi » sibi adiunxerunt. Electo vero, ac consecrato episcopo Josepho Joanne Stojka anno 1690, eparchiam Maramorošiensem vere institutam fuisse putamus.

Hoc in capite, omnibus historicis elementis, quae in documentis hucusque compertis invenire valuimus, claritate qua maxima, Josephi J. Stojka episcopatum simul et eparchiae erectionem illustrare conabimur.

#### ART. 1. - EPISCOPUS JOSEPHUS JOANNES STOJKA ET ORTUS EPARCHIAE MARAMOROŠIENSIS

Eparchia Maramorošiensis orta est, de facto, propter oppositionem cleri ac comitatus Maramorošiensis contra unionem, conclusam in Mukačoviensi eparchia. Quamdiu fuerunt episcopi Mukačovienses dissidentes, nemo in Maramoroš de novae eparchiae erectione cogitabat. Cum autem anno 1689 zelosus episcopus unitus, Josephus Joannes De Camillis, ad universam eparchiam Mukačoviensem nominatus esset, clerus dissidens Maramorošiensis, nobilitate protestantica huius comitatus eum adiuvante, independentem sibi procuravit episcopum. Ipse Josephus Joannes De Camillis ita descripsit hunc eventum: « ...Nel comitato di Maramurus, che confina con questo, havendo quelli preti sentito, che io son venuto da Roma già cercano di far

venir pro loro qualche altro vescovo scismatico... » (1). Hic novus episcopus Maramorošiensis fuit Josephus Joannes Stojka.

Joannes, postea Josephus, Stojka, uti generatim notum est, fuit primus verus, autonomus « episcopus Maramorošiensis », de cuius tamen vita ac gestis suam electionem episcopalem praecedentibus, haud multum scire datur. Certum enim est eum ex nobili familia carpatoucraina provenisse (2). Nobilis Stojkarum familiae in pago Kryčovo existentiam iam documentum saeculi XV notat (3), dum, saeculo XVI-XVII, multos administrationis statalis officiales originem ex hac familia duxisse novimus (4). At gratis, putamus, affirmat Cziple S. - in suo opere « De quaestione Eparchiae Maramorosiensis » - Josephum Joannem Stojka, praeter nobilem titulum, magnam quoque possessionem habuisse (5). Gratis affirmat, diximus, namque auctor omnia vel minima, quae de nostro Stojka in scriptis invenire posset, colligens, nullum ad probandam suam opinionem de divitiis episcopi attulit argumentum. Documentum enim, quod refert, Stojkam post 14 annos sui episcopatus, residentiam iam possidere 200 florenorum pretio (6), de fortunis huius episcopi ante suam electionem tacet. E contra, ex Josephi J. De Camillis epistola elucet Joannem Stojka ante annum 1691 valde divitem non fuisse.

Primam notitiam de Joanne Stojka ex officiali protocollo comitatus Maramorošiensis anni 1683 attingimus, ubi de eo sermo est, ut de « predicatore ex Csumolyfalva » (7). Terminus autem « predicator » non significabat pastorem protestanticum, cum Joannes noster ad protestantismum explicite nunquam transiret. Attamen in Maramorosiensis comitatu, eo tempore, nomine « predicatoris » vocati sunt omnes sacerdotes dissidentes philo-protestantici. Josephus J. De Camillis item sine omni haesitatione affirmat Joannem Stojka presbyterum dissidentem in

---

(1) HODINKA A., *Okm.*, p. 298.

(2) CZIPLE S., *A Marmorosi püspökség...*, p. 99.

(3) MIHÁLYI J., *Marmorosi diplomák...*, pp. 253-255.

(4) PETROV A., *Staraja vera i unija*, S. Peterburg 1906, vol. II, pp. 36-37 (notae); CZIPLE S., *A Marmorosi püspökség...*, p. 31.

(5) CZIPLE S., *A Marmorosi püspökség...*, p. 31.

(6) IBIDEM, p. 99.

(7) IBIDEM, pp. 87-88.

pago « Csumolfalva » fuisse (8). In fine, « Csumolyfalva », ucrainice « Cumaljovo », pagus fuit prope Kryčovo, unde Stojkarum familia originem (suam) duxit.

De electione nominationeque episcopi J. Stojka iam plures habemus notitias contemporaneas, quae modo quasi identico eventum hunc describunt. Prima notitia in epistola Josephi J. De Camillis, Vicarii Apostolici Mukačoviensis, ad episcopum Agriensem scripta, anno 1691 die 7 aprilis invenitur: « Ulterius sciatur, quod Dominus Joannes Presbiter pagi Czumolofalva in Marmaruss est vir simplicissimus, rudis et scismaticus; vendidit omnia, quae habuit, ut solveret aliquibus nobiles haereticis, qui ipsum promoverent. Iam ex Transylvania reversus est Marmarossinum cum licentia, prout dicitur, Principis, ut sit Episcopus. Et de facto vel ivit, vel cito iturusus est Strynum, ut ab illo Metropolita Moldaviae, qui ibi profugus manet, consecratur... » (9). Secundum testimonium habetur a « Parocho possessionis Bocskò » seu parocho Bočkoviensi, secundum quod tempore electionis episcopi J. Stojka iam in comitatu Maramorošiensis sacerdos fuit. Sic: « ...fatetur, quod Episcopus Marmarusiensis Josephus Stojka per collationem Michaelis Apafi, Aetholici quondam Principis Transylvaniae sit declaratus Episcopus in Marmaros et consecratus a Metropolita Szocsaviensi Schismatico... » (10). Tertium vero documentum hac de re episcopus Mukačoviensis Georgius Gennadius Bizancij scripsit: « ...comitatus Marmorosis se segregavit abhorendo unionem Sacram taliterque mediante favore Michaelis Apaffi de Episcopo sibi providit Schismatico nempe praefato Sztojka, qui penes collationem et confirmationem praetacti Principis Apaffi cum plena et absoluta iurisdictione Episcopali populum et clerum annis circiter viginti in Schismate confortabat... » (11).

Proinde episcopus Stojka suam praecipuam electionem a nobiles officialibusque comitatus Maramorošiensis habuisse

---

(8) ARCHIVUM SECRETUM VATICANUM (ASV), *Acta Congregationis Consistorialis anni 1771*, f. 223-224. Hoc documentum publice editum est a PAPP GY., *Adalèkok De Camillis J. munkàcsi püspök müködèséhez*, in « Keleti Egyház », a. 1941.

(9) ASV, *Acta Congr. Consistorialis anni 1771*, f. 223-224.

(10) DULYŠKOVYĚ I., *Istoričeskija čerty...*, vol. III, p. 65.

(11) APF, *Scritt. rif. nelle Congregazioni Generali*, vol. 671, f. 380.



videtur. Quae tamen electio cum consensu cleri dissidentis huius comitatus certe fuit, nam ex parte suorum sacerdotum de electionis legitimitate Stojka nunquam obiectiones passus est (12).

Electum nobilitas Maramorošiensis ad Transylvaniae principem pro tempore, Michaelem Apaffi I, misit, ad dictae electionis confirmationem obtinendam. Princeps, cum esset protestans et anticatholicus ex toto corde suo, ne unio triumpharet, libenter, non solum hanc electionem confirmavit, quin immo auctoritate sua Joannem Stojkam unicum « episcopum Maramorošensem » nominavit (13).

Nominatione obtenta, Stojka ad obtinendam ordinationem episcopalem Haliciam petiit, ubi secundum legem orientalem professionem monasticam emittens nomenque Josephi adsumens, a Dositheo Metropolita Sočaviensi, qui ob turcarum occupationem ad finem saeculi XVII in monasterium Perekynscense (prope oppidum Stryj) fugit, in « episcopum Maramorošensem » consecratus est (14). Eius vero nominatione ac consecratione nova sedes episcopalis novaque eparchia, nempe Maramorošiensis, orta est.

Nobis hodie, originem eparchiae Maramorošiensis critice considerantibus, eius institutionem secundum antiquam consuetudinem et legem Ecclesiae Orientalis omnino legitimam fuisse agnoscendum manet. Nam secundum ecclesiasticum ius dissidentium, supremi principes, speciali modo in Ecclesiis a patriarcha Constantinopolitano independentibus suis in territoriis ad consti-

(12) Tempore incarcerationis episcopi Josephi J. Stojka (anno 1705) comitatus Maramorošiensis inquisitionem iuridicam fecit de persona huius episcopi. Auditi sunt numerosi testes, qui saepe maledicebant episcopum, nunquam autem in dubium revocabant eius legitimitatem. Depositiones testium profert HODINKA A., *Okm.*, pp. 425-433, 434-447, 448-463.

(13) Michael Apafi, ut quasi omnes Transylvaniae Principes, contra catholicos semper semperque ecclesiam dissidentem adiuvbatur et speciali modo ad finem vitae suae, quando Ecclesia catholica cum auxilio exercitus Austriaci iterum resurrexit in territorio Transylvaniae. Porro, de nominatione episcopi Josephi ab Apafi nullum dubium adest. Hoc affirmant omnia documenta huius temporis. Vide notas (9), (10), (11).

(14) Vide supra.

tuendas eparchias potestatem semper habebant, licet, eorum erectiones postea ecclesiasticarum auctoritatum opus essent sibi confirmatione (15). Suvorov affirmat duas potestates solummodo, nempe potestatem metropolitanam ac potestatem principis supremi, in antiqua « Rus' » ius ad erigendas novas eparchias habuisse (16). Erectio a principe fuit necessaria pro administratione publica, cum his in regionibus tota Ecclesia dissidens potestati civili submissa esset. Primaria autem erectio semper a metropolita facta est, quando hic metropolita, consentiente synodo episcoporum, quemdam candidatum ad novi episcopatus titulum consecravit (17). Et revera, pro novae eparchiae Maramorošiensis legitimitate nominatio a principe atque consecratio a metropolita Sočaviensi omnino sufficere videbatur (18). Stojka autem, ut episcopatus traditione historica haud careret, antiquum etiam titulum « Exarchi stauropégiaci Patriarchae Constantinopolitani », seu titulum Abbatis iam destructi monasterii Hrušoviansis sibi adsumpsit (19).

Hic nobis videtur electionis, nominationis et consecrationis episcopi Josephi tempora determinare. Et in primis affirmandum occurrit Josephum Joannem Stojka anno 1689 nondum fuisse electum, cum ad finem eiusdem anni mixta commissio cleri dissidentis et officialium comitatus, absque confirmatione ullius episcopi, de causa parochiali pagi Szaploneza decisionem emisserit (20). Si eo tempore Stojka iam episcopus fuisset, dicta commissio sine eius consensu de rebus ecclesiasticis decidere nun-

(15) Hoc ius fuit omnino commune in omnibus dissidentibus Ecclesiis byzantini.

(16) SUVOROV N., *Učebnik cerkovnago prava*, Moskva 1912, pp. 92-93.

(17) BARAN A., *Metropolia Kioviensis et Eparchia Mukáčoviensis*, Romae 1960, pp. 36-39; LOZOVEI P., *De Metropolitanarum Kioviensium Potestate* (in manuscripto), Romae 1952, pp. 193-198.

(18) Metropolitanam Sočaviensem, ut metropolitanam etiam dissidentium Ucrainae Carpaticae, considerare debemus, quia omnes episcopi Mukáčovienses et Maramorošiensis disuniti, saeculo XVII, a his metropolitans consecrati sunt.

(19) NILLES N., *Symbolae ad illustrandam historiam Ecclesiae Orientalis in terris Coronae S. Stephani*, Oeniponte 1885, vol. I, pp. 268-269; HODINKA A., *Okm.*, p. 390.

(20) CZIPLE S., *A Mărmăroși püspökség...*, pp. 88-90.

quam potuisset. Ex altero vero documento vidimus eum, episcopum, die 15 maji 1690, synodum eparchialem in oppido Maramoroš-Sihot celebrare (21). Itaque electio atque nominatio eius episcopalis tempore solummodo, quod mensem decembrem anni 1689 inter et maium 1690 currit, fieri potuit. Attamen, ex testimoniis superius expositis constat, Josephum J. Stojka nominationem suam a principe Michaelae Apaffi I obtinuisse quem, perinde, die 15 aprilis 1690 mortuum novimus (22). Quapropter omnino certum apparet hunc novum «episcopum Maramorošiensem» primis 3 mensibus anni 1690 electum ac nominatum esse.

De tempore vero consecrationis episcopi Josephi haud multa cum praecisione loqui fas est. Quae constant exponemus. Vidimus enim eum ex subscriptione synodi Maramoroš-Sihotiensi nec «electum», nec «nominatum» fuisse, sed simpliciter «episcopum Maramurošiensem». Et hoc, implicite saltem, eius consecrationem, ante synodum superius nominatam, seu ante diem 15 maji 1690 peractam fuisse probat.

ART. 2. - DE ACTIVITATE EPISCOPI JOSEPHI J. STOJKA  
IN EPARCHIA MARAMOROŠIENSI

Conditiones neocreatae eparchiae Maramorošiensis sub omni aspectu difficiles fore praevidebantur. Inde ab ipso initio regiminis sui eparchialis episcopus Josephus Joannes Stojka plures in suo officio exercendo difficultates habuit. Prima enim eaque naturalis fuit duarum nationum, novam eparchiam incolantium, ucrinae, nempe, ac romenae, ob diversas nationales traditiones et tendentias, sub uno eodemque Capite pacifica et fructuosa conviventia. Ideo episcopus Stojka, si omnes dissidentes in Maramorošiensi comitatu in sua potestate conservare intendebat, magna cum prudentia atque nationali tolerantia regimen

---

(21) CZIPLE S., *A Marmorosi püspökség...*, pp. 90-91.

(22) HOMAN B. - SZEKFU GY., *Magyar történet*, Budapest 1935-1936, vol. V, p. 393.

novae eparchiae inchoare debuit. Ipse revera ad talem conciliativum laborem sese omnino capacem ostendit. Imprimis expresse proclamavit se esse insimul « episcopum ruthenum ac romenum » (23) et omnes perantiquas Ecclesiarum nationales consuetudines ratas habuit. Dein, pro parte romena eparchiae linguam officialem romenam, pro parte vero ucraina linguam palaeoslavam conservare conatus est (24). Hoc agendi modo episcopus Josephus Joannes Stojka difficultates nationales in Maramorošiansi eparchia e medio sustulit.

Maiorem adhuc difficultatem novo episcopo « synodalis » quaedam traditio cleri Maramorošiansis creavit. Ut iam superius vidimus (25), sacerdotes Maramorošianses, secundo dimidio saeculi XVII, et praesertim post mortem episcopi Joanicii Zejkan (1686), causa nimiae ab episcopis suis distantiae, ac ex influxu protestantismi, clericalibus in comitiis modo independenti de ecclesiasticis disputabant quaestionibus, easque proprio resolvere contendebant marte. Episcopus Stojka, consecratione episcopali peracta, omni cum probabilitate abusui huic finem ponere intendebat. Attamen clerus Maramorošiansis ab episcopo conservationem huius traditionis, ut « conditionem sine qua non », exigere studuit (26). Ideo, ut clerum sibi favorem redderet, Stojka volens nolens hoc haereditarium quasi « synodale systema » novae eparchiae eiusque novis circumstantiis aptare debebat. Inde, ab initio sui episcopatus, quotannis semel vel pluries sub directione episcopi synodi omnium sacer-

(23) Titulus officialis Josephi J. Stojka in actibus inquisitionis anni 1705 fuit: « Sztojka Josef marmarosi oláh ès orosz püspök ». Cfr. HODINKA A., *Okm.*, pp. 433, 447.

(24) Ipse Stojka in decretis suis pro ucrainis lingua palaeoslava pro romenis vero lingua romena utebatur. Cfr. HODINKA A., *Okm.*, pp. 383, 390, 399, 419. Protocolla enim synodorum particularium romenorum semper in lingua romena scripta sunt. Cfr. CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 90-91, 93-94.

(25) Praecedenti in articulo iam notavimus comitia cleri Maramorošiansis, anno 1689, in pago Szaplonea. Cfr. CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 88-90.

(26) Hoc clare patet ex inquisitione anni 1705. Cfr. HODINKA A., *Okm.*, pp. 421-423, 425-433, 434-447, 448-462.

dotum dioecesanorum convocatae sunt, ubi de peculiaribus eparchiae quaestionibus tractabatur (27). Decisio autem harum synodorum non spectabat episcopo, sed voto totius synodi, cum episcopus ibi solummodo ut simplex praeses synodi adesset (28). Tali modo synodus cleri eparchialis potestatem quasi supraepiscopalem habuit. Revera, ut ex processu anni 1705 contra personam episcopi Josephi J. Stojka compilato patet, episcopum absque consensu synodi eparchialis sacerdotes ordinare, matrimonia annullare, a fidelibus tributa exigere, sacerdotes ad novas parochias nominare vel ab iis amovere et generatim praecepta ecclesiastica promulgare haudquaquam potuisse (29).

Propter talem synodi eparchialis suprematiam conditio episcopi Josephi in regenda eparchia valde difficilis erat. Attamen unitas eparchiae nonnisi hoc systemate conservari posse videbatur. Unitas vero haec inter episcopum et clerum Maramorošensem omnino necessaria fuit ad novam eparchiam firmiter stabiendam, tum quoad vitam internam, tum quoad defensionem proprii iuris et independentiae apud civilia comitatus officia.

Officiales Maramorošiensis comitatus, ante nominationem Josephi J. Stojka, in omnes actus synodales cleri Maramorošiensis inspiciebant et decreta sibi tantummodo favorabilia promulgare permittebant. Hoc clare patet ex comitiis in pago Szaplonea anno 1689 celebratis (30).

Episcopus Josephus J. Stojka talem ingerentiam gubernii civilis comitatus in res ecclesiasticas omnino auferre contendebat atque conditiones cleri Maramorošiensis sociales ac politicas in Transylvania, ad normam eparchiarum dissidentium Haliciae et Moldaviae elevare conatus est. Imprimis ergo synodos iam

---

(27) *IBIDEM*. Tales celebrationes ex testimoniis recte confirmantur.

(28) Accusationes contra Josephum Stojka fuerunt saepe, quod ipse sine synodo decisiones emisit. Cfr. HODINKA A., *Okm.*, p. 436. Vicecomes vero Maramorošiensis non de « decisionibus episcopi », sed de « decisionibus synodi et episcopi » loquebatur. Cfr. CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 94.

(29) HODINKA A., *Okm.*, pp. 422-423, 436, 440, 443, 444, 446, 453, 459. Stojka quasdam decisiones suas propter voluntatem synodi corrigere debuit. Ex. gr.: restitutio tituli protopresbyteratus cuiusdam Joannis Popa et annullatio divortii Simeonis Cziple. Cfr. HODINKA A., *Okm.*, pp. 444, 446.

(30) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 88-90.

omnino libere celebrabat, ibique decreta saepe saepius officialibus comitatus vix faventia synodaliter edidit (31).

Sed officiales gubernii civilis huius provinciae iuri huic, quasi acquisito longa Ecclesiae oppressionis periodo, haud facile renuntiabant, imo obstabant. Itaque, die 6 augusti 1698, in comitiis comitatus Maramorošiensis, vicecomes pro tempore solemniter contra decreta, « ab episcopo eiusque synodo » eparchiali edita protestavit, exigebatque immediatam restaurationem antiquarum consuetudinum ecclesiae dissidentis in Maramoros (32). Episcopus vero Stojka conamina sua solutoria, non obstante hac vicecomitis protestatione, continuare voluit. Attamen eodem anno (1698) Imperator decretum dissidentibus haud favorabile, de quo in articulo subsequenti latius tractabimus, pro Transylvania edidit (33), et Stojka videns positionem suam in periculo, ad auxilium officialium civilium comitatus recurrere coepit atque iugum antea detrusum, denuo sibi suoque clero imposuit civili-que potestati non iam amplius obstabat, sese in res ecclesiasticas immiscendi. Hac nova politica autem episcopus Josephus non plus de synodo eparchiali curavit et omnes decisiones iam sine consultatione cleri Maramorošiensis emittebat (34).

Quoad vitam spiritualem eparchiae Maramorošiensis, episcopatus Josephi J. Stojka multam laudem haud meretur. Ipse fuit vir indoctus, rudis et in doctrina philoprotepticus, nec non propter suam ebriositatem moribus debilis (35). Sub eius episcopatu ecclesia Maramorošiensis ad deplorabilem statum reducta est. Attamen maius malum, ab episcopo Josepho provocatum, fuit unio cum calvinistis.

### ART. 3. - UNIO EPISCOPI CUM CALVINISTIS

Protestantismus hungaricus saeculi XVII sub forma calvinismi in dissidente Maramorošiensis comitatu semper maiorem influxum habuit, cum penetratio protestantica ibi auxilium rome-

(31) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 94.

(32) IBIDEM.

(33) Vide paginam 28.

(34) HODINKA A., *Okm.*, pp. 422-462.

(35) IBIDEM.

norum obtinuerit. Ut generaliter notum est, calvinismus, sub vexillo nationalismi « nationalisque ritus », Ecclesiam romenam Transylvaniae iam saeculo XVII dimidio ineunte ab influxu slavorum orientalium detraxit eamque partialiter philoprotesticam fecit (36). Duplici autem methodo hic philoprotesticismus romenorum a calvinistis assecutus est, nempe, externa subordinatione ecclesiarum dissidentium protestanticis superintendentibus, atque editione novorum librorum liturgicorum in lingua romena vernacula cum formularum protestanticarum intrusione. Sciendum enim est Ecclesiam romenam dissidentem usque ad medium saeculum XVII in liturgia linguam palaeoslavam adhibuisse et solummodo per supranominatas editiones protestanticas lingua vernacula romena introducta est (37). Editio librorum ita optima calvinismi arma fuit, cum, sine ulla violentia, idearum « reformatostrarum » in Ecclesiam romenam penetrationem acquirere potuisset.

In Mukačoviensi autem eparchia et tali modo apud ucrainos Maramorošienses libri liturgici philoprotestantici nunquam adhibiti sunt et lingua palaeoslava semper ut unica lingua liturgica remansit. Quapropter ibi fortis influxus idearum protestanticarum nunquam aderat (38), quibusdam sacerdotibus exceptis, qui influxu romenorum privatim libros romenos adhibentes, ad protestantismum inclinabantur; hi autem generalem orthodoxiam ucrainorum mutare haud potuerunt. Inde, unicus influxus molestus protestantismi apud ucrainos ex institutione calvinisticorum superintendentium proveniebat, quae institutio magis

(36) PETROV A., *Otvuk reformacii v russkom Zakarpat'i XVI v.*, in « Vestnik kralovské české společnosti nauk », a. 1923, Praha 1923, pp. 86-87; HOMAN B., - SZEKFU GY., *Magyar történet...*, vol. V, p. 101; JORGA N., *Histoire des Roumains...*, vol. I, pp. 176-179.

(37) JORGA N., *Histoire des Roumains...*, vol. I, pp. 175-198; HOMAN B., SZEKFU GY., *Magyar történet...*, vol. V, p. 101.

(38) Unicus liber philoprotesticus « Njagovskija poučenija », in dialecto carpato-ucrainico scriptus, cuius divulgatione, secundum Petrov, calvinizatio totius Ucrainae Carpaticae incipere debuit, in eparchia Mukačoviensi haud prospere successit. Cfr. PETROV A., *Otvuk reformacii...*, pp. 31-36.

externe, quam interne eos in comitatu Maramorošiensis opprimebat (39). Attamen hic influxus externus protestantismi ibi nec fidem, nec vitam moralem dissidentium ucrainorum mutare valuit, cum et imaginum veneratio, et sanctorum cultus, et sacramentorum, ac speciali modo sacramenti poenitentiae administratio, sine mutatione manerent (40).

Inde ab anno 1661 autem, conversione principissae Sophiae Bathory iam tota ucrainorum carpaticorum Ecclesia, excepto comitatu Maramorošiensis, ab influxu protestantismi, externo quoque, liberata est. Item in Transylvania, exeunte saeculo XVII, et speciali modo sub episcopatu Savae Brankovič (1662-1680) apud romenos dissidentes contra protestantismum heroica orta est oppositio, quae oppositio anno 1698 romenos Transylvaniae ad unionem cum Sancta Romana Ecclesia perduxit (41). Itaque tempore episcopi Josephi J. Stojka iam sola eparchia Maramorošiensis in antiqua Hungaria, dissidens sub influxu protestantismi remansit. Propterea hac in eparchia quoque, si non S. Unio, saltem quaedam spiritualis orthodoxaque renovatio atque liberatio a iugo protestantismi iuste expectabatur. Uti videtur, sors bona vel mala eparchiae Maramorošiensis ab agendi modo episcopi Josephi J. Stojka depen-

(39) *IBIDEM*, pp. 84-85. De actionibus superintendentium calvinisticorum scribit Primas Hungariae Lippay G. ad S. Congregationem de Propaganda Fide, anno 1654. Cfr. NILLES N., *Symbolae...*, vol. II, pp. 829-838.

(40) Doctrina dissidentium, in oppositione ad Unionem Užhorodensem stantium, clare videtur ex tractatu antiunionistico Michaelis Andrella, conscripto tempore Josephi J. De Camillis. Editio huius operis facta est a: PETROV A., *Duchovno-polemičeskija sočinenija Iereja Michaila Orosvegovskavo Andrelly*, Praga 1932.

Praeterea in comitatu ad Maramoroš vicinissimo, id est, in comitatu Satmariensi, in synodo a Josepho J. De Camillis celebrato (a. 1690) decretum est: « Parochus intimabit parochianis, ipsosque disponet ut saltem quater in anno confiteantur et corpus sanguinemque Christi D. ni sumant, videlicet in Paschate, in festo SS. Apost. Petri et Pauli, in Obdormitione B. V. Mariae et in Redemptoris Nostri Nativitate. Paschalem vero communionem si quis negligat, excommunicabitur... ». Cfr. NILLES N., *Symbolae...*, vol. II, pp. 861-862. Itaque, si usus sacramenti poenitentiae ibi deesset, neque haec synodus decreta tam rigorosa edere potuisset.

(41) NILLES N., *Symbolae*, vol. I, pp. 122-390.



debat. Ipse autem fideles suos ad peiora perduxit, cum « unionem » non cum Ecclesia Romana, sed cum calvinistis contraheret (42). Haec tamen unio specialem habet historiam.

Anno 1698, die 14 aprilis, Imperator Austriae Leopoldus I, qui post abdicationem ultimi principis (1695), Transylvaniam in dominium suum reduxit, ut auctoritate sua faciliorem redderet romenorum cum S. Romana Ecclesia unionem, sequentem resolutionem ad gubernium Transylvanicum misit « Qui ex sacerdotibus graeci ritus Valachus, edita professione ad observantiam ritus graeci, apud catholicos cum agnitione Summi Pontificis se declaraverit, gaudebit privilegiis sacerdotum catholicorum. Qui vero ex iisdem ritus graeci sacerdotibus dictam professionem sibi faciendam non putaverit, vel etiam uni ex aliis receptis religionibus se univerit aut etiam in suo religionis statu, in quo nunc est, permanendum sibi duxerit, gaudebit illius religionis privilegiis, ad quam se declaraverit, aut etiam in suo statu religionis eo iure, quo nunc habetur, porro habebitur » (43). Quo ex textu patet Imperatorem pro iis, qui ad quatuor religiones receptas (44) non pertinebant, nullum privilegium concessisse. Etenim Ecclesia dissidentium eo tempore ad receptas religiones non pertinebat, quam ob rem vel remanere debuit in antiquo statu vel si privilegia volebat, necessarium fuit cum Ecclesia Catholica vel cum secta Calvinistica unionem contrahere. Sic stantibus rebus, Stojka unionem cum ecclesia calvinistica elegit (45).

Hodie autem, nullo documenti pactae unionis textu extante, difficilis oritur quaestio, nempe: Quonam sensu haec unio pacta est? Secundum opinionem S. Cziple unio de qua verbum est res

(42) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 38-43, 114.

(43) NILLES N., *Symbolae*, vol. I, p. 195.

(44) Quatuor religiones, quae in Transylvania eo tempore privilegiis gaudebant, fuerunt: religio catholica, lutherana, calvinistica et ariana.

(45) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 114. Auctor publicat documentum, in quo comitatus Maramorošiensis notat unionem calvinistarum ac dissidentium Maramorošiensium, conclusam post nominatam resolutionem Imperatoris: « Midön az ö felsége parancsolatjából az négy recepta religióból jötte nek vala nemes vármegyénkbe az tekintetes nemes ország deputatusi kiknek praesentiajukban görög valláson lévő atyánkfiai magukat uniálták az reformáta religióhoz... ».

dogmaticas vel quaestiones fidei non respicit, cum pactum unice ad obtinenda privilegia dissidentibus spectaret (46). Attamen, quaestionem critice considerantes, opinionem dicti auctoris nullo modo confirmare possumus, nam apud episcopum Josephum J. Stojka per se et principaliter de « unione doctrinali et ideologica » tractabatur.

Stojka, uti iam dictum est, sacerdos explicite philoprotostanticus fuit, predicator vocatus est, talisque sub episcopatu suo remansit, quod ex eius episcopalibus actibus clare elucet: Ex. gr.: Ipse saepe saepius divortia concedebat, ita, ut sacramentum matrimonii eius tempore ad purum contractum reduceretur (47). Porro, nihil curabat de aliorum sacramentorum et speciali modo de sacramenti poenitentiae administratione in sua eparchia, qua de causa, tempore eius episcopatus in Maramoroš, sacramentis rarissime fideles usi sunt. Quidam sacerdos Societatis Jesu latini ritus, positionem spiritualem Maramorošiensis eparchiae, post gubernationem Josephi J. Stojka, ita descripsit: « ...Mira est omnino ignoratio sacrificulorum, quod genus sacerdotum popas nuncupant, eaque miserabilem populum maximis tenebris involvit. Rarus admodum sacramentorum tum praecipue confessionis usus, quum nonnisi senes et tumulo vicini eam obeunt; arcent virgines ante solemnitatem nuptiarum a templo, quin ex lubedine promiscua irae vel odii, vetere pulsa, novam conjugem assumere in more habent... » (48). Philoprotostantismus Josephi J. Stojka ex eo quoque videtur, quod nemo ex dissidentibus tam magnam fiduciam huius integraliter protestantici (49) comitatus habuit, quam noster episcopus Josephus, quin immo ipse, ante processum contra eius personam, suam eparchiam cum auxilio auctoritateque officialium huius comitatus regebat (50). Denique, ex documentis constat episcopum

(46) *IBIDEM*, pp. 38-43.

(47) HODINKA A., *Okm.*, pp. 422, 426-433, 434-447.

(48) NILLES N., *Symbolae*, vol. I, p. 389; ARCHIVUM ROMANUM SOCIETATIS JESU (ARSJ), *Litterae annuae provinciae Austriae a. 1711*, f. 40.

(49) PETROV A., *Staraja vera i unija*, vol. II, p. 32.

(50) HODINKA A., *Okm.*, p. 422. In synodo sparchiali Maramorošiensis, die 24 februarii 1704 celebrato, sacerdotes episcopum Stojka accusabant de confiscatione bonorum quorundam sacerdotum auxilio vicecomitis Maramorošiensis.

Maramorošiensem in pugna contra unionem cum Ecclesia Catholica, de rebus dogmaticis a fervidis dissidentibus philocalvinisticis consilium accepisse (51).

Nullum autem dubium adest quoad inclinationem Josephi J. Stojka in calvinismum, omnesque auctores temporis nostri, quos inter et S. Cziplé (52), eius philoprotentantismum affirmant. Et si Stojka certe ad calvinismum inclinabat, iam omnino vana videtur negatio sensus doctrinalis huius unionis. Itaque ex superius dictis facile concludere possumus episcopum Josephum J. Stojka eparchiam suam tam ad externam, quam ad internam submissionem calvinismo duxisse.

Ex altera vero parte, Stojka omnes propositiones unionisticas Ecclesiae Catholicae reiecit. Quin immo, suos sacerdotes cum catholicis ne tractarent iussit, eosdemque ne privatim quidem adirent, prohibuit. Propterea, presbyteri Maramorošienses in synodo romena anni 1700, ubi S. Unio romenorum Transylvaniae confirmata est, officialiter abfuerunt, eorum nomine loquebantur solummodo quidam oppositores episcopi Josephi et eparchiae Maramorošiensis extranei (53). Porro, eodem anno, unione Transylvaniae conclusa, a generale Rabutin, praefecto Austriaco regionis, et episcopo Josepho J. Stojka unio cum Ecclesia Catholica proposita est. Hic supremus dux exercitus Austriaci per Cancellarium Transylvaniae, Nicolaum Bethlen, episcopum Josephum ad se invitavit, quo liberius ad unionem eum inclinare posset (54). Attamen generalis Rabutin experimentum haud successit, nam Stojka ideas suas non solum non reliquit, sed etiam, ad eparchiam Maramorošiensem revertens, philocalvinistico suo consultori, Gabrieli Nagyszeghy, epistulam antiunionisticam misit, ut ipsum de firmissimo suo philoprotentantismo certiolem faceret (55). Tali modo, Josephus J. Stojka totaque eparchia Maramorošiensis etiam post unionem romenorum Transylvaniae in dissidentia philoprotentantica manebant.

---

(51) Ibi agitur de nobili Gabriele Nagyszeghy. Cfr. CZIPLÉ S., *A marmarosi püspökség...*, p. 43.

(52) CZIPLÉ S., *A marmarosi püspökség...*, p. 39.

(53) IBIDEM, p. 42; NILLES N., *Symbolae*, vol. I, p. 249.

(54) CZIPLÉ S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 42-43.

(55) IBIDEM.

## ART. 4. - DEPOSITIO ATQUE INCARCERATIO EPISCOPI

Episcopus Josephus J. Stojka eparchiam Maramorošiensem sine interruptione usque ad annum 1705 gubernavit (56); hoc anno autem eius regimen interruptum est. Hic vero adversus fortunæ vultus, quod maxime mirum videtur, a sacerdotum Maramorošiensium energica oppositione in synodo dioecesana initium ducit. Nos ideo, ut claritate quam maxima eventum considerare possimus, protocollum comitatus partialiter hic transcribimus: « ...Cum in hoc anno currenti 1705, die 24 mensis februarii (57) in oppido Szigeth una cum dominis iurisperitis, iurassoribus, nec non honorabilibus Graecanicae religionis comitatus nostri parochis ecclesiasticisque personis quamplurimis etiam eiusdem modofatae religionis saecularibus viris tam probis quam fidedignis ad tractandum arduis synodalibus negotiis in synodo praememoratae religionis unanimiter convenissemus et consedissemus, ex tunc praedictae religionis parochus honorabilis Johannes Pap de Irhocz, nec non nob. Joannes Popovics alias Kzonzc de Vajmag in medio synodi exurgentes per modum gravissimae querelae contra reverendum Josephum episcopum iam toties mentionatae religionis in certa puncta redigendae s. synodi scriptotenus repraesentarunt, remonstrarunt, qualiternam praedictus d. episcopus vocationi suae contrarios actus quam plurimos exercuisset, exerceret etiam de praesenti, peten-

---

(56) Ut iam diximus, unica difficultas minoris momenti in gubernatione episcopi Josephi J. Stojka fuit, anno 1698, protestatio consilii comitatus Maramorošiensis contra quasdam decisiones synodales episcopi, quae protestatio autem nihil in eius gubernatione mutavit. Cfr. CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 94.

(57) In documento originali annus 1704 scribitur (vide HODINKA A., *Okm.*, p. 421), hoc tamen error est, nam in textu praecedenti legitur: « in hoc anno currenti », id est, quando protocollum a comitatu subscriptum est. Atqui dicta subscriptio anno 1705 evenit. Ita et haec « rebellio » contra episcopum Josephum anno 1705 locum habere debuit. Porro, notum est Josephum Stojka, die 29 septembris 1704, adhuc plena potestate in pago Szarvaszò synodum celebrare. Cfr. « *Görög-kat. Szemle* » (Užhorod), die 6 iunii 1909.

tes nos una cum s. synodo debita cum instantia, ut excessus ...per praementionatum d. episcopum exercitos synodaliter corrigeret, ne in tantum tam praescripti querulantes, quam tota ecclesia nunc Graecanica comitatus nostri pateretur, quibus nos perlectis et pensitatis connuentibus universis s. synodi tam parochis, quam etiam saecularibus pro tunc deputatis et destinatis iam totiesfatae religionis personae super moriger... et accomoda ...excessus praementionati d. episcopi talem uti sequitur fecimus determinationem hungarico idiomate in certa puncta redigendam, petentes nos praemissae religionis Graecanici parochi, ut nos determinationem hanc sub sigillis comitatus nostri usualibus et authenticis extradare eisdem vellemus » (58). Hic vero sequuntur conditiones parochorum, quas Stojka severe observare debuit, si episcopus remanere voluit. Hae sunt: Ne habeat relationes cum statibus extraneis; ne puniat suos sacerdotes sine lege per vicecomitem ad confiscationem bonorum; ne sit ebriosus; ne nominet absque consensu s. Synodi novos decanos et Joannem Pap de Irhocz, qui sine iusta causa ab officio suo depositus est, rehabilitet; ne amoveat sacerdotem quemquam ab officio sine scitu synodi; servet ac impleat promissiones suas; divortia concedat solummodo in s. synodo; sacerdotes suos in disciplina teneat eosque saepe saepius visitet; ne mutet decisiones synodi, neque publicet praecepta contra synodi decisiones; de pecuniis collectis referat in praedicta synodo; defendat sacerdotes fidelesque suos; ne concedat matrimonia inter diversas religiones; ne ordinet ullum sacerdotem vel diaconum absque synodo; notario dioecetano concedat eius pecuniam; invigilet, ne sacerdotes pro officiis funeralibus plus quam 50 denarios accipiant; ipse ne accipiat plus quam 1 florenum ab omni ecclesia; ne destinet plus quam 3 sacerdotes unicuique ecclesiae; 2 sacerdotes ab omni ecclesia sint immunes; si autem his petitionibus synodi episcopus Josephus satisfacere noluerit, vel eas in futuro violaverit, synodus ipsa contra eum processum eiusque punitionem petat (59).

Hodie nobis quasi incredibilis videtur talis modus proce-

---

(58) HODINKA A., *Okm.*, pp. 421-423.

(59) HODINKA A., *Okm.*, pp. 421-423.

dendi contra episcopum. Attamen in eparchia Maramorošiensi haec oppositio cleri solummodo conclusio novi systematis in gubernatione episcopali fuit. Democraticum, synodale systema eparchiae Maramorošiensis, quod, primis temporibus, episcopum Josephum magis magisque popularem in sua eparchia reddidit, anno 1705, eius ruinae causam dedit. Oppositio enim cleri contra personam episcopi Josephi petitionibus dictae synodi cessare nullo modo valuit, cum sacerdotes Maramorošienses, propter diuturnas violationes conditionum, post synodum, die 24 februarii 1705 celebratam, contra eum legalem processum exigerent.

Episcopo Josepho J. Stojka valde nocuit adhuc politica conditio Hungariae Regni; nam, uti generatim notum est, anno 1703 princeps Franciscus II Rákóczi, potentissimus Mukačoviensis dominus posteaque Transylvaniae princeps, insurrectionem Hungariae adversus Imperium Austriacum movit ac per duos annos quasi totam antiquam Hungariam Transylvaniamque occupavit (60). In occupato territorio autem, praeter antiquam administrationem comitatum, ad invigilandum et capitaneis suis maiorem potestatem concessit. Hi vero capitanei, sicut in nostro casu, tali potestate non semper digni fuerunt, nam in Maramoroš Georgius Dolhay, capitaneus Chustensis, accepto nuntio de synodi oppositione contra episcopum Josephum J. Stojka, ut bona huius Maramorošiensis episcopi sibi confiscare posset, eum sine ullo processu in carcerem detruxit (61).

Contra hanc capitanei Chustensis illegalem actionem consilium comitatus Maramorošiensis, qui episcopum semper defendere sperabat, ad principem Franciscum Rákóczi scripsit, ut ille libertatem Josepho J. Stojka restitueret iuberetque, ut legali processu contra hunc episcopum procederetur (62). Praeterea comitatus animadvertit Josephum J. Stojka nobilem ac episcopum esse, et qua talem, neminem sine « inchoatione iuridici processus » in carcerem detrudere illum potuisse (63). Rákóczi,

(60) MARKI S., *II Rákóczi Ferencz*, Budapest 1907-10, vol. I, pp. 241-396.

(61) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 46-47, 101.

(62) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 98-99. Copia epistolae ad Principem invenitur in « Protocollo Comitatus Maramorošiensis diei 15 Martii 1705 ».

(63) *IBIDEM*.

obtenta epistola consilii comitatus Maramorošiensis, die 8 aprilis 1705, ad capitaneum Chustensem scripsit iussitque pro tota Maramorošiensis administratione inchoationem legalis processus contra episcopum Josephum J. Stojka (64).

Processus hic mense aprili (1705) initium habuit; 660 membra eparchiae Maramorošiensis, id est, raepresentantes 44 pagorum, ut testes, a commissionibus iudicialibus auditi sunt (65). Eorum autem depositiones Josepho J. Stojka parum iuvarunt, cum hi testes eum ad episcopatum non solum ineptum, sed etiam vere indignum fuisse confessi sint (66). Interea, episcopus Stojka officialiter per decretum Francisci II Rákóczi, absque pronuntiatione cuiusdam sententiae (67), ab administratione eparchiae Maramorošiensis amotus fuit eiusque bona una cum bonis monasterii Uglensis ad officiales comitatus temporaliter transierunt (68).

ART. 5. - « EPISCOPATUS » JOBI JOANNIS CIRKA ET REHABILITATIO  
AC MORS JOSEPHI J. STOJKA

Ita amoto episcopo Josepho J. Stojka, consilium comitatus Maramorošiensis de inquirendo novo episcopo dissidentium cogitare coepit. Et de facto, breve post tempus novum episcopum in persona Jobi Joannis Cirka invenit.

Job Joannes Cirka, natione romenus, in Transylvania na-

---

(64) Epistola Principis Rákóczi hac de re publice edita est in « Történelmi Tár », a. 1908, sub titulo: *Második Rákóczi Ferencz levelei Marmaros vármegyéhez*, p. 587.

(65) HODINKA A., *Okm.*, pp. 425-433, 434-447, 448-463.

(66) Testes speciali modo sublineabant ebriositatem episcopi, quae de facto principium omnium malorum fuit in eius vita spirituali, oeconomica ac morali.

(67) Nescitur, an iudices huius processus quamdam sententiam emitterent vel non. Attamen certum est eam nunquam promulgatam esse.

(68) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 100. In protocollo comitatus Maramorošiensis habetur adnotatio, secundum quam, Rákóczi per litteras supradicta bona vicecomiti A. Pogány, aliisque officialibus temporaliter donavit.

tus, ubi et saeculo XVII exeunte sacerdos dissidens ordinatus est (69). Mortuo Theophilo episcopo romeno Alba-Julieni, a calvinistis ipse proponebatur in novum episcopum (70); reiectus autem, calvinista factus est fuitque ad tempus « pastor Batizhaziensis » (71). Insurrectionis tempore Rakoczianae iam protectionem principis Francisci II obtinens, episcopum dissidentium Transylvaniae se declaravit atque labore suo ad totalem S. Unionis destructionem tetendit (72). Anno vero 1708, a comitatu Maramorošiensis ad sedem, a Josepho J. Stojka derelictam, vocatus est (73).

Fuitne Cirka unquam ordinatus episcopus? Nescitur... Quidam auctores sine valido fundamento affirmant eum, iam annis 1699-1700, Bucuresti in episcopum consecratum esse (74). Haec tamen opinio ab auctoribus haud facile probari potest. E contra, non pauca adsunt documenta, quae eum nobis ut « pseudoepiscopum » - nondum ordinatum ostendunt (75). Quapropter et nos negativam de eius episcopatu sententiam tenere malumus.

Uti ex epistola Petronii Kaminskyj elucet, Cirka iam anno 1709 universam eparchiam Maramorošensem gubernabat (76), conditionemque huius eparchiae sua superintendentia adhuc in peiorem statum duxit. Cirka fuit vir doctus (77), in doctrina philoprotesticus et natura sua tam aggressivus, ut subditos suos, absque tolerantia auctoritatum publicarum, cum maxima

(69) NILLES N., *Symbolae*, vol. I, pp. LX, 344.

(70) IBIDEM, p. 344.

(71) NILLES N., *Symbolae*, vol. I, p. 222.

(72) IBIDEM, p. 372.

(73) Secundum Cziplę (p. 46) Joannes J. Cirka iam in amotione episcopi Josephi Stojka partem habuit. Nos tamen sententiam hanc ex documentis superius citatis omnino negare possumus. Ipse Cziplę primum vestigium Joannis Cirka in eparchia Maramorošiensis nonnisi anno 1709 notare potuit (p. 103).

(74) CZIPLĘ S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 44-45.

(75) NILLES N., *Symbolae*, vol. I, p. 372; SCHAGUNA A., *Geschichte der griechisch-orientalischen Kirche*, in « Osterreich », Hermanstadt 1862, pp. 110-111.

(76) HODINKA A., *Okm.*, p. 522.

(77) CZIPLĘ S., *A marmarosi püspökség...*, p. 48.



violentia oppressioneque tractaret (78). Calvinismo proclivis, ipse religionem omnino protestanticam in Maramoroš imponere voluit, ita, ut tempore eius «episcopatus» multi catholici eparchiam Maramorošiensem in sectam calvinisticam transformari crederent (79). Res autem non ita evenit. Sacerdotes bonae fidei huius eparchiae in oppositione ad violentam oppressionem huius «pseudo-episcopi» iam quasi catholicitati ipsi appropinquant. Spes S. Unionis speciali modo crevit apud romenos Maramorošienses, qui, sub suorum connationum in Transylvania influxu, solummodo momentum aptum ad depositionem Jobi Joannis Cirka et ad assequendam S. Unionem expectabant.

Tamen Cirka male etiam cum consilio comitatus utebatur. Cuius officiales, videntes eius violentum sese gerendi modum, contra eum legali processui initium dederunt (80). Processus ille, ubi Cirka accusatus fuit, die 12 septembris 1709 initium habuit; violentia iuris personarum, violentia legum ecclesiasticarum, simonia et immoralis vita praecipua crimina ei imputata sunt (81). Sententia processus emissa est die 6 februarii 1710, secundum quam Cirka ab episcopatu Maramorošiensi depositus in carcerem intrudi iuebatur (82). Ipse autem videns suum infelicem statum, cum ne eius protector quidem, princeps Rakòczy, propter adversam sortem insurrectionis eum adiuvere posset, ex Maramorošiensi comitatu aufugit.

Interea Stojka, ob instantes petitiones quorundam suorum fidelium (83), anno 1706, ex carcere dimissus, ut episcopus sine ulla iurisdictione in comitatu Maramorošiensi vivebat (84). Ex

(78) Cirka cum maxima violentia submitit iam clerum Transylvaniae (NILLES N., *Symbolae*, vol. I, p. 372). Sed, ut ex processu comitatus Maramorošiensis elucet, ipse hac in eparchia omnes limites superavit. Cfr. CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 103-108.

(79) Hoc certe ex epistola Petronii Kamĩnskyj concludi potest. Cfr. HODINKA A., *Okm.*, pp. 522-523.

(80) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 103.

(81) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 103-108.

(82) IBIDEM.

(83) Praeter petitiones scriptas, die 15 decembris 1705, delegatio specialis ad principem Rakòczy quoque missa est pro obtinenda libertate Josephi J. Stojka. Cfr. CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 102.

(84) HODINKA A., *Okm.*, p. 522.

potestatibus episcopalibus ei una tantum exercenda concessa fuit; nempe: potestas ordinandi sacerdotes dissidentes pro eparchia Mukačoviensi ac pro ucrainis ultra Montes Carpativos viventibus (85). Ipse, ita, ut haberet pecuniam ad vitam, multos sacerdotes dissidentes ad ecclesias ucrainorum carpativorum, iam unitorum, simoniace consecravit, qui pseudo-sacerdotes in eparchia Mukačoviensi, sedis vacantis tempore (usque ad annum 1715) non parvam causarunt confusionem (86). Anno autem 1710, deposito Joanne Jobo Cirka, comitatus Maramorošiensis temporaliter, seu « ad definitivam principis Rakòczy decisionem », eparchie administrationem iterum Josepho J. Stojka tradidit (87). Eo tempore enim Rakòczy, praeoccupatus de infelici insurrectionis exitu (88), nihil de inquirendo novo episcopo curare potuit eparchiamque Maramorošiensem omnino sorti suae reliquit. Itaque Stojka iterum unicus « episcopus Maramorošiensis » factus est. Eius autem secundum regimen haud diu duravit, cum eodem anno mortuus sit (89).

---

(85) HODINKA A., *Okm.*, p. 522. « ...Circa tenet Maromoriszum..., Stojka vero cunctos tam ex Polonia, quam ex Hungaria venientes ordinat... ».

(86) IBIDEM. Kaminskyj scribit de 400 sacerdotibus, ordinatis a Stojka

(87) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 113. Auctor confert documentum protestationis sacerdotum Maramorošiensium contra decisionem comitatus, secundum quam Stojka usque ad Principis dispositionem hanc eparchiam administrare deberet.

(88) Ad finem anni 1710, iam insurrectio Francisci II Rakòczy designatam habuit sortem. Difficultates oeconomicae, pestis, disertiones et ante omnia infelix exitus quorundam proeliorum, exercitum insurrectionis in funestam turbam vertebant. Sic stantibus rebus, initio anni 1711, omnes principis Rakòczy fautores, una cum principe ipso, ad exteras terras fugere coacti sunt. Cfr. MARKI S., *II Rakòczy Ferenoz*, vol. III, pp. 26-198.

(89) HODINKA A., *Okm.*, p. 566.



## CAPUT SECUNDUM

### PRIMA TENTAMINA UNIONIS IN EPARCHIA MARAMOROSIENSI

Mortuo episcopo Josepho J. Stojka, periodus critica pro eparchia Maramorošiensis venit, periodus conflictus duarum tendentiarum, nempe philoprotentantismi et philocatholicismi, inter dissidentes huius eparchiae. Luctamen ideologicum harum tendentiarum in vitam religiosam, socialem et politicam non solum ipsius eparchiae, sed totius Maramorošiensis comitatus magna ex parte influebat. Protagonista primarius huius luctaminis fuit episcopus Seraphinus Stephanus Petrovan, cuius vita hac in periodo immediate cum tentaminibus unionisticis ligata est. Hoc in capite ideo exponemus historiam eparchiae Maramorošiensis, temporibus episcopatus Seraphini Stephani Petrovan.

#### ART. 1. - EPISCOPUS SERAPHINUS STEPHANUS PETROVAN EIUSQUE PRIMUM CONAMEN UNIONIS

Annus 1711 magnas in eparchiae Maramorošiensis historia mutationes attulit. Pace Satmariensi (1) omnino sublata est insurrectio Rakocziana et Imperator terras Coronae Hungaricae simul cum Principatu Transylvaniae suae potestati absolutae subiecit. Habsburgorum autem regimine, propter centralisticam eorum politicam, potestas singulorum comitatuum magis magisque minuebatur; e contra, auctoritas Ecclesiae Catholicae iterum

---

(1) Tractatus pacis firmatus est die 1 maji 1711. Quo tractatu Imperator agnovit constitutionem Hungariae, exercitus vero Rakoczianus, absente Duce suo, prope oppidum Satmariensem deposuit arma.

in suo splendore restaurata est (2). Iamvero propter istas mutationes administratores protestantici comitatus Maramorošiensis non ausi sunt dissidentibus episcopum philoprotesticum imponere, sed electionem novi episcopi Maramorošiensis sacerdotibus huius eparchiae reliquerunt.

Eo tempore autem inter sacerdotes Maramorošienses, uti iam superius diximus, sub influxu unionis Transylvaniae motus philocatholicus ortus est, cuius caput Stephanus Petrovan (3), sacerdos romenus (4) ex nobili familia, fuit, qui tunc a sacerdotibus unioni faventibus in novum episcopum proponebatur. In campo enim adverso, seu clero antiunionistico, praefuit Dositheus Teodorovyč, hegumenus monasterii Uglensis, ut secundus candidatus ad dictum episcopatum (5).

Electio episcopalis peracta est in synodo, ante mensem novembrem anni 1711 celebrata (6), in quo factio, unioni favens, victoriam votorum obtinens, Stephanum Petrovan in suum episcopum elegit (7) eumque ad quendam episcopum dissidentem Moldaviae, ad obtinendam episcopalem ordinationem, misit. Itaque Petrovan in Moldavia, nuncupata prius secundum traditionem Ecclesiae Orientalis professione monastica et assumpto nomine: « Seraphinus », in episcopum consecratus est.

De hac episcopali consecratione Seraphini Petrovan, documenta originaria hodie iam non habentes, solummodo ex epistola Gabrielis Hevenesi, provincialis Societatis Jesu in Austria, die 29

(2) HOMAN B. - SZEKFU GY., *Magyar történet*, vol. VI-VII.

(3) Ipse in documentis romenis vel slavici nomine Petrovan, in hungaricis vero nomine Petrovay utebatur; utraque forma significat « de Petrova ».

(4) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 580, t. 160. Secundum verba episcopi Alba-Julienis, Stephanus Seraphinus Petrovan fuit « natione Valachicae ».

(5) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 54.

(6) Secundum leges Ecclesiae Orientalis electio episcopi solummodo in quadam synodo fieri potuit. Attamen Stephanum Seraphinum Petrovan sciimus iam mense novembri episcopum consecratum fuisse, ideo dicta synodus ante mensem novembrem celebrata est.

(7) JORGA N., *Studii si documente*, vol. XII, p. 284. Ecce verba Provincialis Jesuitarum: « ...Hic episcopus est electus a plebe et sacerdotibus graecis ».

decembris 1711 ad Primatem Hungariae scripta, notitiam dare possumus. Hac in epistola quae sequuntur legimus: « ...Ille Seraphim maromarošiensis episcopus curavit se consecrari per episcopum Moldaviae schismaticum... » (8). Tamen certum est episcopum Seraphinum etiam documenta, suam ordinationem episcopalem attestantia, habuisse, cum comitatus Maramorošiensis, anno 1714, ad Georgium Gennadium Bizancij, eo tempore vicarium generalem eparchiae Mukačoviensis, de existentia talium documentorum scriberet: « ...nos tales litteras vidimus in eius (Seraphini) possessione, secundum quas ipse in suo officio (episcopatu) procedere potest, nos eum arcere non possumus... » (9). Denique, ut historia demonstrat, nullus episcopus sine recta ac valida consecratione ab Ecclesia Catholica unquam ut episcopus habitus est. Seraphinum Petrovan autem ab episcopo unito Transylvaniae, Athanasio, eiusque officiali consultore, Superiore Jesuitarum Francisco Szunyogh, ut verum « Graeci ritus episcopum Maramorošensem » agnitum scimus (10). Ita de consecratione Seraphini nullum dubium extare potest. Quisnam fuit eius consecrator in Moldavia? Nescimus! Tamen, ut alii episcopi dissidentes Mukačovienses ac Maramorošenses, probabiliter et Seraphinus a Metropolita Sočaviensi, residente in Civitate Jassi, eo tempore Gedeone III (1708-1723), consecratus est.

Episcopatus Seraphini Petrovan, uti videbimus, novam periodum pro eparchia Maramorošiensis significat. Nos itaque, ut hanc periodum, ab historiographis usque ad hodiernam diem neglectam, maiore luce illustremus, omnia, quae de origine activitateque episcopi Seraphini in fontibus inveniri possunt, describenda ducimus.

Quis fuit episcopus Seraphinus? Uti iam dictum est, natus erat ex nobili Petrovanorum familia, quae originem suam duxit ab initio saeculi XV, cum nobilis Bohdan, filius Joannis de Dolha, residentiam suam in pago Petrova fixit (11), ibique eius

(8) JORGA N., *Studii si documente*, vol. XII, p. 284.

(9) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 115. « ...mi olyan leveleket latunk nála, az melyek mellett procedálhat hivatalja serint és attul nem árcéalhatjuk... ».

(10) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 580, f. 160-162.

(11) MIHÁLYI J., *Marmarosi diplomák...*, p. 227.

familia usque ad secundum dimidium saeculi XVI plures pagos, ut Petrova, Ruska, Rosalia et Uglja, possidebat (12). Anno autem 1557 Imperator Ferdinandus I, propter proditionem Laurentii Petrovan, familiam magna possessionis parte privavit (13) ideoque eius momentum ac opem notabiliter minuit. Hisce non obstantibus, multi homines celebres ex hac familia provenerunt: ex. gr. Georgius Petrovan capitaneus Tokaiensis; I. Petrovan, colonellus exercitus romeni in Valachia, quidam Petrovan possessor magnorum fundorum in comitatibus Szaboles et Szolnok, etc. (14). Quidam rami huius familiae saeculis XVII-XVIII sanguinis relationibus ucrainis permiscebantur et decursu temporis ucraini carpatiei facti sunt, ex. gr. Petrovan-Fylypčuk, Petrovan-Ivanyk et Petrovan-Michalka (15). Ramus autem, ex quo noster episcopus Seraphinus originem duxit, romenus semper remansit, et propter dignitatem Seraphini «ramus episcopalis» denominatus est (16).

Seraphinus Petrovan circa medium saeculum XVII natus, omni cum probabilitate iam ante episcopatum Josephi J. Stojka sacerdos ordinatus est (17) ducebatque vitam piam; ac religiosam (18), qua propter ab episcopo Josepho J. Stojka protopresbyteratu insignitus est (19). Denique, uti iam diximus, anno 1711, ad episcopalem dignitatem electus et consecratus est. At non satis! Ipse ad nobiliorem adhuc metam tendit, nempe, ad unionem cum Ecclesia Catholica. Ita, accepta consecratione ab episcopo dissidente Moldaviae, Seraphinus Stephanus Petrovan statim ad Athanasium, episcopum unitum romenorum

(12) LUKINICH I., *Erdély területi változásai*, Budapest 1918, p. 152.

(13) IBIDEM.

(14) MIHÁLYI J., *Màrmarosi diplomák...*, p. 227.

(15) MIHÁLYI J., *Màrmarosi diplomák...*, p. 227.

(16) IBIDEM.

(17) Secundum Cziple iam fuit senex, quando in episcopum electus est. Cfr. CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 54.

(18) Ex epistola Gabrielis Hevenesi, provincialis Jesuitarum Austriae, patet Seraphinum vitam striete asceticam duxisse, cum, secundum Hevenesi, Seraphinus carnem nunquam manducaret. Cfr. JORGA N., *Studii si documente*, vol. XII, p. 285.

(19) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 52.

Transylvaniae (20), Albam Juliam profectus est, ubi coram eo, se cum Ecclesia Catholica unire voluit. Eventum hunc episcopus Athanasius ad Strigoniensem Archiepiscopum, Primate[m] Hungariae (21), die 30 novembris anni 1711, ita descripsit: « Appulit huc Albam Juliam quidam Graeci-Ritus Episcopus Marmarosiensis nationis Valachicae, qui se mihi praesentavit, ac illuminatus Spiritus Sancti gratia, se unire cum Sancta Romana Catholica Ecclesia velle, revelavit... Paratus fuit idem [Dominus Episcopus, perlecta eidem per meum secretarium professione fidei catholica, omnia puncta praescripta acceptare, dictamque professionem in flagranti elicere, quod ipsum iudicavi differendum, usque dum haud prius Eminentiae Vestrae notitias darem, cui usque ad tempus resolutionis ab Eminentia Vestra acceptae, considerandum bene, dedi » (22).

Hac ex epistola videtur Seraphinum Petrovan iam tunc ad nuncupandam « professionem fidei » omnino paratum fuisse, tamen Athanasius, ut caute procederet, totum negotium pro decisione Primati Hungariae, Christiano de Saxonia transtulit, scribens: « Quod tandem factu opus erit, sapientissimo Eminentiae Vestrae iudicio committo... » (23). Primas insuper cum hac epistola Athanasii, epistolam quoque Seraphini, die 25 novembris 1711 datam, obtinuit, ubi ipse episcopus acceptationem eparchiae Marmarosiensis in Ecclesiam Catholicam et insuper immunitates ecclesiasticas pro suo clero concedendas petiit: « Afflante divina Spiritus Sancti gratia, me hisce diebus Reverendissimo ac Illustrissimo domino Athanasio archiepiscopo, necnon eiusdem ritus patri theologo Francisco Szunyogh e Soc. Jesu praesentavi ac quod me Sanctae Romano-Catholicae Ecclesiae unire vellem eisdem insinuavi, quod ipsum etiam Eminentiae Vestrae praesentibus notitiae dare volui et simul submississime rogare quatenus, quemadmodum antecessor Eminentiae Vestrae, piae memoriae Eminentissimus dominus Cardinalis a Kollonits,

(20) Athanasius Anghel, episcopus romenorum in Transylvania (1698-1713), in documentis titulo Archiepiscopi vel Metropolitae utebatur.

(21) Christianus de Saxonia (1707-1725).

(22) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 580, f. 160-160v.

(23) *IBIDEM*.



clerum graeci ritus valachicum transylvanicum in gremium Sanctae Matris Romano-Catholicae Ecclesiae acceptavit, etiam me clerumque mihi subiectum Maramorosiensem acceptare haud gravetur et ut eadem immunitate ecclesiastica qua sacerdotes romano-catholici fruuntur et gaudent, gaudeamus, idipsum apud Augustissimam Aulam efficere dignetur. Gratiam hanc mihi exhibitam diebus vitae meae praecibus apud Deum, quam etiam fidelitate mea in Ecclesiam Sanctam Romano-Catholicam demereri faciam » (24).

Obtentis notitiis tam faustis, Primas Hungariae ante omnia scripsit ad Gabrielem Hevenesi, provincialem Societatis Jesu in Austria, ut ille ad instruendum Maramorosiensem clerum duos Societatis patres statim in eundem comitatum mitteret (25). Postea, die 24 decembris, epistolas amborum episcoporum una cum sua relatione Romam, ad Cardinalem Josephum Sacripante, Praefectum S. Congregationis de Propaganda Fide, transmisit (26).

S. Congregatio, videns ex scriptis bonam episcopi Seraphini Petrovan intentionem, quamprimum de eius acceptatione decernere voluit. Itaque totum negotium eparchiae Maramorosiensis iam die 25 Januarii 1712 in « Congregatione generali » tractatum est, in qua, perlecta relatione Secretarii, cardinales praesentes sequentem decisionem emisero: « Scribatur Eminentissimo a Saxonia (27), quod Episcopus et subditi illius debent abiurare haeresim propter Schisma, et solitam fidei professionem emittere iuxta notam formulam transmittendam, iisque omnibus adimpletis, idem Eminentissimus dignetur ad hanc S. Congregationem transmittere originalia, vel saltem publica documenta. Idem Eminent. Archiepiscopus dignetur curare, ut Episcopo, eiusque

(24) JORGA N., *Studi si documente*, vol. XII, pp. 283-284; APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 580, f. 159rv.

(25) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 580, f. 158v-162. « ...mentre ho scritto già al Provinciale de' Padri Gesuiti, a fine che mandi subito due Padri, per informare quelli convertiti nella nostra Santa Fede Ortodoxa... ».

(26) IBIDEM.

(27) Christianus de Saxonia, Primas Hungariae.

Clero concedantur exemptiones » (28). Haec decisio S. Congregationis per epistolam Secretarii statim ad archiepiscopum Strigoniensem transmissa est (29); eaque transmissa apud Sanctam Sedem sperabatur unionem eparchiae Maramorošiensis mox initam iri. Proh dolor, spes S. Congregationis, uti videbimus, irrita mansit.

#### ART. 2. - DIFFICULTATES UNIONIS

Episcopus Seraphinus S. Petrovan, omnes quaestiones cum episcopo Athanasio pertractans, mense decembri a. 1711, sperabundus in eparchiam suam reversus est. Ibi autem circumstantias sibi admodum hostiles invenit. Nobilitas comitatus Maramorošiensis, audiens de intentionibus unionisticis Seraphini deque eius colloquiis eum episcopo Alba-Julieni, «solemniter protestavit» eumque ab episcopatu demittere voluit (30). Porro, proh dolor, non omnes sacerdotes eum pro vero Maramorošiensi episcopo agnoscere ausi sunt. Solummodo fractio unionistica cleri pro novi episcopi agnitione omnibus suis viribus institit.

Itaque munus primarium episcopi Seraphini S. Petrovan, ut nobilitatis protestationibus, cum exitu, se opponere posset, fuit agnitio suae auctoritatis ab integro clero eparchiae; ipse hanc agnitionem magnis promissionibus et speciali modo «immunitatis» promissione pro omnibus sacerdotibus, sibi submissis, obtinere voluit. Attamen promissiones immunitatis, cum pro possessoribus terrarum reddituum amissionem significant (31), magis magisque adhuc odium nobilitatis contra personam episcopi Seraphini excitarunt. Ita in comitatu Maramo-

---

(28) WELYKYJ A., *Acta Sacrae Congregationis de Propaganda Fide* (Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusjæ spectantia), Romae 1954, vol. III, pp. 46-47.

(29) WELYKYJ A., *Litterae S. C. de Propaganda Fidae*, Romae 1956, vol. III, p. 55.

(30) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 113-114.

(31) HODINKA A., *A munkácsi görög-katholikus püspökség története*, Budapest 1910, pp. 736-750.

rošiensi, propter personam episcopi Seraphini S. Petrovan, magnam controversiam inter nobilitatem et clerum dissidentem oriri videmus.

Nobis autem, controversiam hanc critice considerantibus, triste infortunium cleri dissidentis notandum occurrit. Quod ex indifferentia omnium catholicorum antiqui Regni Hungariae ad Unionem Maramorošiensem originem traxit. Proh dolor, Seraphinum tempore conaminum unionisticorum a clero Catholicae Ecclesiae insufficienti adiutorium obtinuisse agnoscendum est.

Ita, Superior provincialis Jesuitarum Austriae, G. Hevenesi, respondens ad petitionem Primatis, die 29 decembris 1711, scripsit se in Maramorošiensem comitatum religiosum Societatis Jesu mittere haud potuisse, nam ibi, cum desit ulla residentia eiusdem Societatis, religiosus ille nulla ad vitae sustentationem media habiturus praevidebatur. Propterea petivit Primatem, ut pro sustentatione huius religiosi quoddam subsidium assignaret (32). Hac ex littera, non obstante eius tono pessimistico, elucet bona voluntas Gabrielis Hevenesi, qui cum suo Ordine, sub cura Strigoniensis Archiepiscopi, pro Unione Maramorošiensi certe prospere laboravisset. Primas tamen, parum de hac unione praeoccupatus, dictum subsidium nunquam assignavit. Ac tali modo Hevenesi totam quaestionem unionis eparchiae Maramorošiensis nonnisi religiosis suis in Transylvania residentibus commendare potuit.

Interim, ob negligentiam Secretarii S. Congregationis de Propaganda Fide, ac Patrum Soc. Jesu incomprehensionem, « Professio Fidei » episcopi Seraphini S. Petrovan in annum 1713 dilata est. Decisione S. Congregationis de Propaganda Fide die 25 ianuarii 1712 emissa, uti iam dictum est, munus fuit Secretarii hac de decisione Primatem Hungariae certiores reddere formulamque professionis fidei, ab episcopo Maramorošiensi sub-

---

(32) JORGA N., *Studii si documente*, vol. XII, pp. 284-285. « ...quia tamen in toto districtu Maromaros nos nullam residentiam habemus, dubium est unde vivet ille adiungendus theologus. Si debeat ali ab episcopo graeco (praeterquam quod ipse nunquam carnes comedat), erit huic valde gravis ideoque exosus, et minus libere operari poterit theologus... Bonum proinde foret si subsidium aliquod simile titulo elemosinae ex aliqua fundatione habere posset ».

scribendam, eidem Archiepiscopo Strigoniensi transmittere. Secretarius autem, die 25 ianuarii 1712, describens Primati sententiam S. Congregationis (33), formulam transmittere omnino oblitus est. Sic rebus stantibus, Primas, die 20 februarii, iterum ad S. Congregationem scripsit de formulae absentia animadvertens, sed iam fere inutiliter cum eodem die, adhuc ante transmissionem huius epistolae, dictam formulam in manum obtineret (34). Mora autem huius formulae, etiamsi longa non fuisset, pro Unione Maramorošiensis iam certum damnum significavit. Nam Primas, ut unio haec quamprimum absque nova mora fieret, eius executionem patribus Societatis Jesu Transylvaniae commisit (35), quod quidem Primatis error fuit. Nam huic unioni Patres Societatis Jesu, ut ipsi scribebant: « assentiri cunctati sunt metu inconstantiae, et annum in proximum distulere, donec compertum haberent, quae in robur firmari, quae diffluere possent » (36).

Patres Jesuitae per dilationem unionis Maramorošiensis preparationem totius cleri dissidentis ad amplectendam catholicam fidem assequi sperabant. Cui praeparationi ipsi iuventutis institutione huius eparchiae initium dederunt. Ita multi adolescen-

(33) WELYKYJ A., *Litterae...*, vol. III, p. 55.

(34) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 581, f. 126: «...poichè la detta Sagra Congregazione vuole, che detto Prelato, per effettuare tal sua risoluzione dovrà colli suoi sudditi abiurare gl'errori della Heresia e Scisma della sua nazione, e fare la solita professione della santa fede secondo la formula prescritta (la quale non m'è stata annessa, non ostante che si fa menzione nella lettera, d'avermela aggiunta) così aspettando al più presto tal formula non tralascierò d'adempire in tutto la volontà della mentionata Sagra Congregazione...P. S.: in quel mentre che finisco questa, mi giunge il duplicato della precedente con l'acclusa formula... ».

(35) Documentum explicitae Primatis commissionis, proh dolor, in manibus nostris non adest, tamen ex eo, quod Jesuitae soli de hac unione deciderunt Congregationemque de Propaganda Fide iam non Primas, sed Superior provincialis Societatis Jesu informavit, concludere debemus hanc commissionem extitisse.

(36) NILLES N., *Symbolae...*, vol. I, p. 389; ARSJ, *Litterae annuae provinciae Austriae*, a. 1711, fol. 40. Haec verba (cuiusdam patris Societatis ex Transylvania) transcripta sunt in relatione Gabrieli Hevenesi, transmissa die 20 augusti 1712 ad S. Congregationem de Propaganda Fide. Cfr. APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 584, f. 72v.

tes ex Maramoroš illis temporibus in scholas Societatis accepti sunt (37).

Nos, statum spiritualement cleri Maramorošiensis considerantes, necessitatem praeparationis ad acquirendam unionem (saltem quadam instructione) sane concedere debemus, tamen, uti patet, Jesuitae conditionem episcopi Seraphini totiusque Maramorošiensis cleri omnino ignorabant, secus probabiliter talem dilationem nunquam fecissent. Notum enim est motionem unionisticam eparchiae Maramorošiensis id temporis a positione Seraphini et quidem unice ab eius positione dependisse. Positio autem haec absque promissionum satisfactione, labente tempore, difficulter salvari potuit. De facto, se liberare volentes ex miserrimo statu materiali oppressioneque morali, sacerdotes Maramorošenses, per quoddam tempus, Seraphinum eiusque unionisticam tendentiam magno cum fervore defendebant, cum autem cleri conditio absque emendatione adhuc in peius cederet, eorum fervor in desperationem mutatus est. Itaque animo tranquillo affirmare possumus totum unionisticum motum in Maramoroš propter hanc dilationem destructum fuisse.

Attamen adhuc anno 1712 unio fuit in corde quasi omnium sacerdotum eparchiae Maramorošiensis, qui libenter a Patribus Societatis Jesu instructionem accepissent (38). Probabiliter instructionis causa episcopus Seraphinus S. Petrovan in medio quoque anno 1712 ad episcopum Athanasium vocatus est (39), ubi ipse usque ad finem huius anni remansit pertractavitque cum Patribus Soc. Jesu totum Unionis Maramorošiensis propositum.

Porro, in eparchiam suam reversus, episcopus Seraphinus statim synodum eparchialem convocavit (40), in qua, diebus 19-23 februarii a. 1713 celebrata (41), Seraphinus cum

(37) NILLES N., *Symbolae*, vol. I, p. 389.

(38) NILLES N., *Symbolae...*, vol. I, p. 389.

(39) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 114.

(40) IBIDEM. Protocollum comitatus Maramorošiensis convocationem notat die 6 februarii 1713.

(41) Synodus haec ante diem 19 nullo modo celebrari potuit, nam in supradicta nota Protocolli comitatus Maramorošiensis leguntur haec verba: «Synodus generalis promulgatur pro die Iovis (feria V) post duas hebdo-

clero suo totum, a Jesuitis elaboratum, unionis propositum pertractavit integraliterque ratum habuit (42).

Attamen spiritus unionisticus synodi odium protestantium excitavit. Consilium comitatus Maramorošiensis, tunc quasi integraliter protestanticum, proximam unionem videns, Seraphinum ex episcopatu deponere voluit. Propterea iam die 23 februarii documentum protestationis centralibus Transylvaniae officiis misit (43), in quo consilium comitatus sequenti ducebatur principio: « eparchia dissidens in Maramoroš, ab episcopatu J. J. Stojka cum ecclesia protestantica officialiter unita, nullam aliam unionem concludere potest ». Postea ipsi comitatus officiales novam convocaverunt synodum (44), ut probabiliter cum sacerdotibus timore percussis Seraphinum modo « legali » deponerent. Synodus, coram officialibus comitatus, mense martio vel aprili celebrata est (45), ibique sacerdotes huius eparchiae Seraphinum iterum in episcopum Maramorošiensem elegerunt (46). Quam electionem comitatus postea volens nolens ratam habere debuit (47).

Itaque episcopus Seraphinus S. Petrovan absque ulla perturbacione eparchiam suam usque ad initium anni 1714 gubernavit. Ipse videtur id temporis S. Unionem cum Ecclesia Catholica explicite nondum inire potuisse, attamen, ut ex eius ultimis documentis constat, intentionem uniendi se nunquam reiecit.

---

madas ». Uti iam superius dictum est, inscriptio huius protocolli facta est die 6 februarii. Ideo, etiamsi ille scriptor hanc notam die Dominica inscripsisset, synodus ante diem 19 initiari haud deberet. Attamen neque celebrabatur post 23 februarii, cum eodem die iam comitatus Maramorošiensis documentum adversus decisionem synodalem emitteret. Cfr. CZIPLÉ S., *A marmaroszi püspökség...*, pp. 114-115.

(42) Ratificatio proiecti Patrum Soc. Jesu elucet ex documento comitatus Maramorošiensis.

(43) CZIPLÉ S., *A marmaroszi püspökség...*, pp. 114-115.

(44) *IBIDEM*, p. 115.

(45) CZIPLÉ S., *A marmaroszi püspökség...*, p. 115.

(46) Synodus, ut ex documentis constat, ad diem 9 martii 1713, convocata est. Probabiliter autem eius celebratio tardius evenit, cum reelectionem Seraphini S. Petrovan consilium comitatus Maramorošiensis solummodo 16 maji ratificaret.

(47) CZIPLÉ S., *A marmaroszi püspökség...*, p. 115.

## ART. 3. - DEPOSITIO ATQUE INCARCERATIO EPISCOPI

Ineunte anno 1714 magnae episcopo Seraphino S. Petrovan difficultates ortae sunt, quarum prima controversia cum Georgio Gennadio Bizancij, tunc temporis Vicario Generali eparchiae Mukačoviensis, fuit.

In eparchia Mukačoviensi, mortuo Josepho J. De Camillis (1706), usque ad annum 1715 nullus fuit episcopus, qui novos sacerdotes consecrare potuisset; quare multi fideles huius eparchiae unitae, speciali modo sub vicariatu Petronii Kaminskyj, ad dissidentes episcopos Maramorošienses confugebant, ut ordinationes sacerdotales ibi obtinerent (48). Ideo, anno 1713, ad Seraphinum S. Petrovan quoque accesserunt fideles eparchiae Mukačoviensis, quos ipse in diaconos ordinavit. Bizancij, certior hac de ordinatione factus, contra Seraphinum energice questus est, quaesivitque Maramorošiensem comitatum, quo iure eorum episcopus has ordinationes sibi permittere potuisset (49). Officiales huius Maramorošiensis comitatus ad petitionem Vicarii Generalis Mukačoviensis respondebant cum simplicitate, dicentes episcopum Seraphinum litteras, potestatem suam episcopalem plene confirmantes, habere; porro, secundum eorum opinionem, Bizancium ei ordinationem suorum fidelium prohibere debuisse (50). Hac responsione consilii Maramorošiensis comitatus ac prohibitione Mukačoviensium ordinationis, controversia acta est, attamen, proh dolor, fiducia Seraphinum inter et Mukačoviensem eparchiam iam nullo modo restaurari potuit, ita, ut hic Maramorošiensis episcopus ab hierarchia unita Ucrainae Carpathicae adiutorium nunquam obtineret.

Secunda difficultas pro episcopo Seraphino Š. Petrovan fuit controversia cum ipso Maramorošiensi comitatu, quae postea, de facto, et eius depositionis causa fuit. Sciendum enim est dissidentes comitatus Maramorošiensis, iam episcopatus Josephi

---

(48) HODINKA A., *Okm.*, p. 527.

(49) CZIFLE S., *A mărmaroși püspökség...*, p. 115.

(50) IBIDEM. Haec responsio consilii comitatus Maramorošiensis data est die 14 februarii 1714.

J. Stojka tempore, Comiti, seu primo officiali huius comitatus, quotannis quaedam tributa solvere debuisse. Initio autem anni 1714 episcopus Seraphinus, ad exemplum cleri catholici, ab omni tributo immunis, solutionem pecuniarum omnino recusavit (51). Officiales comitatus ideo, primo, patientia et bonis consiliis hunc episcopum ad obedientiam reducere voluere (52), postea autem irritam videntes eorum instantiam eum ab episcopatu vi deponere decreverunt.

At, ut depositio Seraphini securior fieret, Officiales comitatus Maramorošiensis ad auctoritatem centralis consistorii calvinistarum in Hungaria confugerunt, dicentes, Consilium solum, post unionem dissidentes inter et ecclesiam calvinisticam, tempore episcopi Josephi J. Stojka factam, de eparchiae Maramorošiensis sorte decidere potuisse (53). Itaque, die 28 augusti 1714, in comitiis huius comitatus sancitum est ad dictum consistorium litteras mittere, ut illud, scilicet inchoationem processus adversus personam Seraphini S. Petrovan officialiter permitteret (54). Uti videtur ex hac littera (55), officiales Maramorošenses comitatus initio, praeter tendentiam unionisticam Seraphini, quam ut episcopi laborem pro suo bono suaque commoditate interpretabant, nullum argumentum validum ad eius depositionem adducere potuerunt. Propterea in fine huius litterae ad improbum inhonestumque accusationis modum, id est, ad episcopalis dignitatis Seraphini denegationem confugerunt, dicentes eum in episcopum nunquam consecratum fuisse, ac solummodo « per practicam et per quasdam litteras in suspitione nitentes » sese in episcopum proclamare voluisse (56). Malam fidem Officialium

---

(51) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 115.

(52) IBIDEM, p. 116. Protocollum comitatus Maramorošiensis scribit de « iteratis requisitionibus domini vicecomitis ».

(53) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 116.

(54) IBIDEM.

(55) Proh dolor, littera originalis, transmissa ad dictum consistorium, nobis haud cognita est, eius autem conceptio invenitur in protocollo comitatus Maramorošiensis, die 28 augusti 1714. Cfr. CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 116.

(56) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 116. « ...nem is volt consecratus püspökségre, hanem per practicam valami suspitioban való irással akarja magát consecrátusnak agnosçaltatni... ».



comitatus Maramorošiensis in denegatione valida consecrationis episcopi Seraphini S. Petrovan statim animadvertimus, si hanc epistolam ad Consistorium protestanticum Hungariae comparamus cum responsione data initio anni ab eodem comitatu Georgio Gennadio Bizancij, Vicario Generali eparchiae Mukačoviensis. Qua in responsione, consilium comitatus ipsum Seraphinum litteras episcopalem eius dignitatem recte confirmantes habere affirmavit (57). Hodierno iam tempore auctores, hanc controversiam critice considerantes (58), Seraphinum ut certe consecratum episcopum habent. Hoc enim deducitur ex relationibus episcopi Athanasii Patrumque Societatis Jesu Transylvaniae nec non ex epistola Gabrielis Hevenesi, scripta die 29 decembris 1711, ad Primate[m] Hungariae (59). Ideo rursus dicimus nunc iam omnes auctores Seraphinum episcopum recte consecratum esse tenere, sed temporibus eius controversias inter nobiliores Transylvaniae Hungariaeque Orientalis calumnias Maramorošiensis comitatus pro veris haberi, ita, ut ad finem anni 1714 Seraphinus a multis ut episcopus irregularis consideratus fuit.

Interim Centrale Consistorium calvinistarum Hungariae, cum omni probabilitate, inchoandum processum adversus episcopum Seraphinum S. Petrovan libenter approbavit (60). Ideo processus incoepit. Seraphinum nemo iam explicite defendebat; solummodo Cancellaria Imperialis, audiens de actione Consistorii Protestantici in eparchia Maramorošiensi, per agentem Maramorošiensem Vindobonae, Sigismundum Tarczali, interrogavit comitatum, quo iure ille fideles dissidentes vi protestantibus submisit (61). Consilium comitatus ad hanc interrogationem die 20 septembris 1714 respondens, Sigismundo Tarczali scripsit nemi-

---

(57) Vide paginam 41, 50.

(58) JORGA N., *Studii si documente*, vol. XII, p. LIII; EIUSDEM, *Histoire des Roumains de Transylvanie et de Hongrie*, Bucarest 1940, p. 44; CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 55.

(59) JORGA N., *Studii si documente*, vol. XII, p. 284.

(60) Haec saltem approbatio constat ex epistola, scripta a comitatu ad agentem Vindobonensem, Sigismundum Tarczali. Cfr. CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 117.

(61) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 117.

nem in Maramoroš dissidentes ad unionem cum protestantibus coegisse, sed, emisso decreto imperiali, anno 1701, de quatuor religionibus agnitis deque possibili unione dissidentium cum una ex his religionibus, ipsi (dissidentes) soli ad ecclesiam calvinistarum « confugebant » (62). Uti videtur, responsio consilii comitatus Cancellariae Imperiali omnino satisfacit, cum subinde iam illa nullam difficultatem ad prosecutionem processus poneret.

Decisione consilii comitatus, die 10 octobris 1714 emissa, Seraphinus processus causa ab episcopatu suspensus est eparchiaeque gubernium ad sacerdotem Johannem Mojsenij transiit (63). Ad inquisitionem faciendam contra episcopum primo quidem Samuel Horvath, postea Michael Racz et Gabriel Horvath, die 26 novembris, a comitatu destinati sunt (64), qui inquisitores lente, sed sine scrupulo, omnes accusationes possibiles ac impossibiles in Maramoroš adversus Seraphinum factas colligebant, eumque apud populum per diversas interrogationes mala fama afficere conati sunt. Processus hic per tres annos duravit. Sententia, anno 1717 emissa, Seraphinum S. Petrovan reum esse declaravit (65), et sic senex episcopus die 9 aprilis 1717 in carcerem detrusus fuit (66), ubi probabiliter breve post tempus obiit (67). Tam miser e vita egressus est unus ex maioribus S. Unionis promotoribus in eparchia Maramorošiensi.

Clerus Maramorošiensis omnino tacuit tragicam finem sui episcopi. Nemo sacerdotum dissidentium contra iniustam comitatus actionem questus est. Nemo fuit, qui sortis Seraphini misereretur.

---

(62) IBIDEM.

(63) IBIDEM.

(64) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 118.

(65) IBIDEM, p. 121.

(66) IBIDEM.

(67) JORGA N., *Histoire des Roumains...*, p. 47. Auctor sententiam suam deducit ex facto, quod de Seraphino, post eius incarcerationem, nullam habemus notitiam, seu, in documentis ad nos pervenientibus nunquam plus de eius persona scribitur (*Studii si documente*, p. LIII), nam si ille iam tempore unionistico liberationem acquireret, in Ecclesia Catholica certe positionem dignam vel saltem favorabilem obtinisset.

Nos, perlustrantes tristem hanc historiam, iure quaerere possumus: Cur eparchia Maramorošiensis, eligens Seraphinum in episcopum (a. 1713) contra voluntatem ipsius comitatus, eum diebus difficillimis sine ullo adiutorio reliquit?

Ad responsionem huic quaestioni dandam, utile nobis videtur retractare secundam Seraphini electionem, anno 1713 factam. In synodo eparchiali, mense martio a. 1713 celebrata, magna pars cleri Maramorošiensis Seraphinum in episcopum elegit acceptavitque unionis propositionem propter « immunitatem » ab eodem Seraphino promissam. Certe, fuerunt sacerdotes quoque philocatholici, qui, ut iam superius dictum est, pro vera fide unionem cum S. Romana Ecclesia desiderabant. Illi autem multi non erant, cum anno 1716 ex 200 sacerdotibus solummodo 60 unionem, a Procopio Hodermarskyj propositam, sine haesitatione acceptarent (68). Pars reliqua cleri, quae indifferens vel contraria unioni cum Catholica Ecclesia fuit, nullum videns exitum promissionum episcopi Seraphini S. Petrovan, eum in lucta pro S. Unione contra Officiales Maramorošiensis comitatus deseruit et « immunitatem » ab ipso consilio comitatus petere coepit. Consilium comitatus autem, ut eparchiam contra episcopum excitaret, petitionem sacerdotum dissidentium partialiter exaudivit. Id est: Decisione, die 29 octobris 1714 emissa, consilium comitatus pro omnibus maioribus pagis duos sacerdotes « immunes », pro minoribus vero saltem unum, eadem immunitate gaudentem, permisit (69). Propterea maior pars sacerdotum dissidentium, obtenta comitatus consilii benevolentia, nec audire cupiebat amplius de episcopatu Seraphini S. Petrovan. Clerus vero philocatholicus timens, ne comitatus eum concessa iam immunitate privaret, obedienter tacuit nulloque actu episcopum suum defendere ausus est.

Porro, in eparchia ab officialibus comitatus large diffusa est notitia de illegalitate episcopi Seraphini, ita, ut breve post tempus nemo quasi in eius validam episcopalem consecratio-

---

(68) Vide paginam 63.

(69) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 117. « ...praesenti unanimi voto végeztük, hogy az tehetős nagy falukban két papok inmunitálassanak, az alább való kissebb falukban egy pap inmunitálassék... ».

nem crederet. Ipse pro tota Maramorošiensi eparchia usque ad XX saeculum ut « episcopus illegitimus » remansit. Quapropter omnes ab eo consecrati sacerdotes vel diaconi a novo episcopo dissidente Dositheo Teodorovyč reordinati, omnesque ecclesiae iterum benedictae sunt (70).

Ultima adhuc nobis remanet quaestio: Cur clerus latinus (qui hunc episcopum, ut verum episcopum noscebat) nihil fecit ad salutem Seraphini S. Petrovan? - Nescimus! - Tamen, ut ex totali unionis historia nobis videtur, latini in Hungaria eo tempore conclusionem unionis inter ucrainos-carpaticos solummodo a denuo restabilito episcopatu Mukačoviensi sperabant et expectabant. Propterea et parum curabant de quodam « episcopo Maramorošiensi ».

#### ART. 4. - SERAPHINUS S. PETROVAN EIUSQUE OPUS

Exposuimus vitam infortuniis plenam episcopi Seraphini eiusque conamina pro exsequenda unione eparchiae Maramorošiensis. Ad conclusionem autem huius capituli oportet nobis adhuc proferre claram imaginem de personalitate atque opere nostri episcopi.

Seraphinus Stephanus Petrovan primus unionis protagonista fuit eparchiae Maramorošiensis. Ipse, nobilis non solum origine, sed etiam spiritu, eparchiam suam e miserrimo statu ad veram spiritualitatem elevare voluit. Unicam autem viam ad assequendam spiritualitatem videbat in conclusione S. Unionis cum

---

(70) PETROV A., *Staraja vera i unija...*, vol. I, p. 17. Auctor publicat documentum de re-benedictione ecclesiae in monasterio Barsanoviensi: « Vo pervych svjatil toj monastyr ep. Serafim, kotoryj ne byl pravym episkopom, potomu paki episkop Dositelj... ».

Tempore visitationis episcopi Emanuelis Olšavskyj nullus sacerdos Maramorošiensis se esse ab episcopo Seraphino ordinatum affirmavit. (Cfr. HADŽEGA V., *Dodatky k istoriji rusynov i ruskych cerkvej v Maramorošskoi župi*, Užhorod 1922). Ex documentis autem constat Seraphinum plurimos sacerdotes ordinavisse, ideo hi sacerdotes a Dositheo re-consecrati esse debebant.

S. Romana Ecclesia. Ipse vir fuit magnarum idearum, qui omnibus viribus suis sine quiete et commoditate pro hac sua meta luctavit, et nunquam sibi lucrum quaesivit, immo propter unionem omnia perdidit, non solum materialia, sed etiam libertatem et vitam. Etsi S. Unio tempore eius episcopatus adhuc concludi non potuit, tamen lucta Seraphini nonnullis sacerdotibus in Maramoroŝ ideam unionis cum Catholicis revelavit, quae postea ab adversariis iam eliminari haud potuit.

Episcopus Seraphinus probabiliter professionem fidei catholicae explicite nunquam emisit, cum tempore eius processus et incarcerationis nullus ex catholicis pro eo instaret. Tamen quidam auctores, historiam eparchiae Maramoroŝiensis illustrantes, propter eius intensum laborem pro acceptanda unione, eam vere unitum considerant (71). Nos hodie de statu animae Seraphini difficulter iudicare possumus, tamen notandum est, hunc episcopum nec pro acquirendis materialibus bonis, nec pro honoribus assequendis, sed rationibus omnino spiritualibus unionem cum Ecclesia Catholica cupivisse. Itaque ex dictis et nos eum saltem in corde suo catholicum fuisse censemus.

---

(71) JORGA N., *Histoire des Roumains...*, p. 44.

## CAPUT TERTIUM

### UNIO EPARCHIAE MARAMOROŠIENSIS

Prout in capite antecedente vidimus, clerus Maramorošien-  
sis sine auxilio ab extra ad Unionem cum S. Romana Ecclesia  
pervenire nullo modo poterat. Quapropter primo apud romenos  
Transylvaniae, ut episcopus Seraphinus Petrovan, postea, apud  
ucrainos eparchiae Mukačoviensis tale adiutorium obtinere co-  
nabatur. Et non est deceptus, cum paucos post annos tota Ma-  
ramorošiensis eparchia sub influxu, necnon directione episco-  
porum Mukačoviensium ad unionem cum Ecclesia Catholica  
transiret. Hoc in capite ideo historiam huius unionis atque sor-  
tem subsequentem eparchiae Maramorošiensis describere inten-  
dimus.

#### ART. 1. - CONAMINA UNIONISTICA MUKAČOVIENSIUM IN EPARCHIA MARAMOROŠIENSI

Eparchia Mukačoviensis, uti vidimus, anno 1690, seu tem-  
pore institutionis eparchiae Maramorošiensis, obtinuit excellen-  
tem antistitem in persona Josephi J. De Camillis, qui per 16 an-  
nos unionem omnimode propagavit et confirmavit (1). Initio sui  
episcopatus Josephus J. De Camillis etiam ucrainos, in Mara-  
moroš viventes, sub iurisdictionem suam et ad unionem perdu-  
cere intendebat (2). Tamen, proh dolor, philoprotesticum  
consilium Maramorošiensis comitatus ei omnino prohibuit in-  
gressum in hoc territorium, talique modo omnem influxum epi-  
scopi Mukačoviensis in fideles Maramorošiensenses excludit (3).

---

(1) HODINKA A., *Tört.*, pp. 400-423; EIUDEM, *Okm.*, pp. 305-420.

(2) HODINKA A., *Okm.*, pp. 306, 346.

(3) HODINKA A., *Okm.*, p. 336.

Tempore insurrectionis hungaricae, legitimo antistite Josepho J. De Camillis vita functo anno 1706, Franciscus II Rákóczi successorem nominavit hominem suae factioni addictum, et dissidentibus faventem, Petronium Kaminskyj (4), qui, licet a Sede Apostolica nunquam confirmatus esset, tamen orientalem eparchiae Mukačoviensis partem auxilio episcoporum dissidentium ex Maramoroš, Josephi J. Stojka et Joannis J. Czirka, gubernavit (5). In istis circumstantiis eparchia Mukačoviensis, et ipsa in discrimine posita, unionem Maramorošiensium nullo modo promovere poterit. Defuncto autem anno 1710 Petronio Kaminskyj, finitaque insurrectione Francisci II Rákóczi, Imperator ad episcopatum Mukačoviensem nominavit Josephum Joannem Hodermarskyj, virum ambitiosum, tamen integraliter catholicum, qui non expectata confirmatione Romana, eparchiam administrare coepit (6). Sancta Sedes de facto Josephum Hodermarskyj non confirmavit et in episcopum Mukačoviensem quemdam monachum basilianum e Kioviensi Metropolia, Polycarpum Fylypovyč, nominavit (7). Iste, licet nondum ab Imperatore admissus neque consecratus, statim de unione Maramorošiensis eparchiae agere coepit. Post mortem episcopi Josephi J. Stojka, anno 1711-12 ad S. Congregationem de Propaganda Fide et ad Cancellariam Imperialem plures scripsit epistolas, in quibus describens opportunitatem unionis huius eparchiae, instituit, ut ad sedem Maramorošiensem quidam candidatus catholicus nominaretur (8). Eius autem instantiae, propter controversiam circa eius personam Imperatorem inter et Sedem Apostolicam effectu caruerunt, quinimmo Regimen Imperiale eum ab ipso episcopatu Mukačoviensi amovit et territorium Hungariae relinquere coegit (9).

---

(4) IBIDEM, pp. 470-471, 502.

(5) IBIDEM, p. 502; WELYKYJ A., *Epistolae Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum Cypriani Zochovskyj, Leonis S. Zalenskyj, Georgii Vynnyckyj*, Romae 1958, pp. 239-240.

(6) HODINKA A., *Okm.*, pp. 487, 535, 563-564; EIUSDEM, *Tört.*, pp. 429-487.

(7) HODINKA A., *Okm.*, pp. 524-526.

(8) WELYKYJ A., *Acta S. Congr. de Prop. Fide*, vol. III, pp. 38-39, 48.

(9) WELYKYJ A., *Acta S. Congr. de Prop. Fide*, vol. III, pp. 41-42, 50.

Amoto Polycarpo Fylypovyč, activitatem unionisticam in Maramoroš continuavit supradictus Josephus J. Hodermarskyj, qui licet non confirmatus, nunc soluseparchiam Mukačoviensem regere pergebat. Eius regimen non diu duravit, nam propter continuam oppositionem Sanctae Sedis contra eius personam, anno 1716, ad componendam controversiam deventum est. Hodermarskyj episcopatu renuntiavit et alius candidatus, nempe, Georgius Gennadius Bizancij ad regendam Mukačoviensem eparchiam nominatus est. Hodermarskyj remansit archimandrita monasterii Sancti Nicolai et vicarius generalis novi episcopi, sed et in tali functione principalior partem in gubernatione eparchiae habuit (10). Unio Maramorošiensis eparchiae semper ipsi cordi erat et, ut eius actio maiori efficacitate procederet, anno iam 1715 fratrem suum Procopium, sacerdotem Ordinis S. Basilii Magni sub protectione Consilii Bellici in comitatum Maramorošiensem misit (11). Iste Procopius spatio quinque annorum magnam partem cleri Maramorošiensis eparchiae ad S. Unionem perduxit.

Procopius Hodermarskyj fuit vir studiosus, doctus et in labore apostolico zelosus, sed, proh dolor, infirmae valetudinis. Natus est anno 1689 in comitatu Sarošiensi (12). Aetate iuvenili in Ordinem S. Basilii Magni Haliciae ingressus et a superioribus suis anno 1710 Romam, in Collegium Graecorum S. Athanasii, missus est. Ibi sacerdos ordinatus anno 1713 (13). Eodem autem anno propter aegritudinem Urbem relinquere et ad Pontificium Seminarium Olomoucense transire debuit (14). Inde, an-

---

(10) Bizancij, ut episcopus, fuit valde passivus, ita, ut tota eparchiae administratio a suo Vicario Generali, seu a Josepho Hodermarskyj dependebat. Verbi gratia: Hodermarskyj dirigebat actionem unionisticam in Maramoroš, ipse repraesentavit eparchiam Mukačoviensem in Synodo Agriensi anno 1726, et in fine, in Synodo Sevljušensi, anno 1727, ubi eparchia accepit decisiones Synodi Zamosciensis, praesente episcopo Bizancij, praesidebat J. Hodermarskyj. Cfr. DULYŠKOVYČ I., *Istoričeskija čerty Ugro-Russkich*, pp. 77, 92.

(11) ASV, *Acta S. Congr. Consistorialis a. 1771*, f. 151v; HODINKA A., *Tört.*, pp. 554-555.

(12) ARCHIVUM COLLEGII GRAECORUM IN URBE, vol. 14, f. 49v-50.

(13) IBIDEM.

(14) ARCHIVUM COLLEGII GRAECORUM IN URBE, vol. 14, f. 49v-50; WELYKYJ A., *Acta S. Congr. de Prop. Fide.*, vol. III, p. 151.



no 1715, a fratre suo, uti iam diximus, ad promovendam unionem cum auxilio Consilii Bellici in comitatum Maramorošiensem missus est.

Notandum est, devicta insurrectione Rakocziana, in Transsylvania et in territoriis « adnexis » supra administrationem civicam fuisse quoddam directorium militare constitutum. Hoc vero directorium, cuius iura in his territoriis quasi plenipotentiaria fuerunt, solummodo ab ipso Imperatore vel a Consilio Bellico mandata obtinere potuit. Propterea Josephus J. Hodermarskyj, ut eius frater Procopius a militia Imperiali in quacumque necessitate defenderetur, pro eo, ut ex epistola vicecomitis Maramorošiensis Ladislai Stojka elucet, protectionem Consilii Bellici procuravit (15).

Tali protectione obtenta, Procopius in labore suo libere procedere potuit. Ne autem cum dominis terrestribus controversias suscicaret, primo anno, id est 1715, activitatem unionisticam ad dominia ipsius Imperatoris restrinxit (16). Quanta prudentia opus erat elucet ex eo, quod consilium comitatus Maramorošiensis paulum post Procopii adventum omni conatu eius labori obstare coepit (17).

Resistentia autem haec consilio comitatus parum prospexit, nam Imperator, audiens de successu Procopii eiusque controversia, per Cancellariam Hungariae et Consilium Bellicum iussit, ut eparchia Maramorošiensis subiceretur Mukačoviensi episcopo et sacerdotes (etsi adhuc dissidentes) Procopio Hodermarskyj, nempe delegato episcopi Mukačoviensis oboedientiam praestarent (18).

---

(15) HODINKA A., *Tört.*, pp. 554-555.

(16) HODINKA A., *Tört.*, p. 554.

(17) DULYŠKOVYČ I., *Istoričeskija čerty Ugro-Russkich.*, vol. III, p. 43. Auctor loquitur etiam de actibus violentibus ex parte comitatus.

(18) HODINKA A., *Tört.*, p. 554/n. 3. Auctor transcribit epistolam Cancellariae scriptam post epistolam vicecomitis Maramorošiensis L. Stojka: « Recenter venisse ab...gubernio...ad cancellariam hanc r. informationem officialium comitatus Maramoros., in qua scribitur d. episcopum Munkács gr. 1. in iurisdictionem Transsilv. episcopatus Valachorum in dicto comitatu semet immittere velle iamque per aliquem sacerdotem nomine Hodermarszki, obtento ab exc. consilio bellico ad d. vicecolon. Svaininger...mandato... ».

Consilium comitatus Maramorošiensis, obtenta decisione Imperatoris, mense februario 1716 ad Gubernatorem Transylvaniae scripsit, petens ab eo instructionem hac de re et mandatum ad executionem, vel reiectionem huius decreti (19). Gubernator autem parum cognoscens conditiones religiosas in Maramoroš, antequam qualemcunque instructionem, vel mandatum emitteret, ab ipso consilio comitatus de ecclesiastica huius provinciae vita abundantem petiit informationem.

Primus, qui petitioni Gubernatoris satisfecit, fuit vicecomes Maramorošiensis, Ladislaus Stojka. Ipse, die 16 maji 1716, describens situationem eparchiae Maramorošiensis ante et post adventum Procopii Hodermarskyj, actionem Mukačoviensium omnino illegalem et aggressivam contra iurisdictionem Transylvanicam esse declaravit (20). Ita et comitatus, ad responsum officiali Gubernatori dandum, die 4 junii 1716 comitia celebravit, ubi decisum est in ampla illa informatione sollemniter protestare contra « iniustam intrusionem » episcopi Mukačoviensis in Maramorošiensem eparchiam et consequenter in territorium Transylvaniae subiectum (21). Uti videtur, comitatus Maramorošiensis ex Mukačoviensium actione quaestionem politicam facere voluit et de facto fecit, cum paulo postea, Cancellaria Transylvaniae ex motivis politicis ante Consilium Bellicum dictam protestationem repeteret. Hac in protestatione Cancellariae Transylvaniae exponitur Mukačoviensem episcopum nescire factum, quod Maramorošiensis comitatus politice ad Transylvaniam pertinet et proinde etiam fideles « graeci ritus », hic habitantes, episcopo romeno Transylvaniae subieci debent (22).

Consilium Bellicum obtinens protestationem Cancellariae Transylvanicae sibi persuaserat caute procedere debere, et non esse facile totam Maramorošiensem eparchiam sub episcopi Mu-

(19) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 119.

(20) HODINKA A., *Tört.*, p. 554.

(21) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 119. « Irni kell méltóságos gubernátor urnak ő exc. az unitus püspök (Mukačoviens.) dolgában, hogy Hodermarszki ur ugy látjuk, egészen Magyarországhoz akarja az itt ben való papokat flectálni azért nemes Marmaros vármegye protestált per modum sollemnis protestationis... ».

(22) HODINKA A., *Tört.*, pp. 554-555.

kačoviensis iurisdictione ad unionem perducere, nec ullis mediis coactivis uti opportunum esse, cum post devictam insurrectionem Rakoczianam ad novum discrimen inter Imperatorem et Transylvaniam tempus nullo modo aptum esset. Itaque Consilium Bellicum proposuit Cancellariae Transylvaniae compromissum, vi cuius eparchia Maramorošiensis in antiquo suo statu remaneret, sed Procopio Hodermarskyj, nempe episcopi Mukačoviensis delegato, exercitium iurisdictionis super sacerdotes unitos permitteretur quoque. Hanc propositionem Cancellaria Transylvanica libenter acceptavit.

Interea, Procopius anno 1716, in oppido Maramoroš-Sihot, sub protectione officialium Imperatoris, synodum celebrans, unionem nonnullorum sacerdotum dissidentium obtinuit. Unionem hanc unus ex sacerdotibus praesentibus ita descriperat: « Rev. Thomas gr. r. unitus Parochus Possessionis Bočko... asserit, Unionem... ullum alium in Marmaros induxisse, usque dum Munkaesiensis Rev. D. Josephus Hodermarszky... medio sui Fratris Procopii in Marmaros missi, ad Unionem Clerum, et Populum Marmarosiensem induxisset, ubi fatens praesens inter reliquos, Unionis cum Sancta Romana Ecclesia puncta, circa annum 1716, in Oppido Szigeth, in Curia suae Majestatis Sanctissimae Caesareae Regiaeque Officinae Salinariae, praesentibus Spectabilibus Dominis suis Titulis dignissimis Neffezer, eiusdem Caesar. Regiaeque Majestatis pro tunc in Negotio Salis Commissario, D.no Georgio Francisco Paugartner, pro tunc Salis Officinae Inspectore, et D.no Antonio Rudolpho Edtlbek, pro tunc Perceptore, et coram pluribus aliis proprio pugno subscriperit... » (23).

Ex descriptione Parochi Bočkoviensis clare patet hanc synodum cum protectione officialium imperialium celebratam esse; quod fuit necessarium, cum comitatus et generatim societas nobilium in Maramoroš, uti protestantica vel philoprotestantica, celebrationem talis synodi certe impedivisset.

Attamen bene notandum est unionem, factam in hac synodo Maramoros-Sihotensi a. 1716, fuisse revera solummodo actum

---

(23) ASV, *Acta S. Congr. Consistorialis a. 1771*, f. 194-194v. Hoc documentum iam partim publicatum est a DULYŠKOVĚ I., *Istoričeskija čerty Ugro-Russkich...*, vol. III, pp. 65-66.

modestum, simplicem, quasi absconditum, sine ulla pompa et sollemnitate externa. Synodus, ut ex dictis patet, non fuit quaedam sollemnis proclamatio S. Unionis Maramorošiensis eparchiae, sed simplex professio fidei quorundam sacerdotum dissidentium, eorumque voluntaria subiectio delegato episcopi Mukačoviensis. Sic ortae sunt primae communitates unitorum in provincia Maramorošiensi.

Quaestio adhuc remanet: Quo tempore precise haec synodus celebrata fuit et qualis fuit numerus sacerdotum unitorum?

Ad primam partem huius quaestionis haud difficile responderi potest, cum in epistola Josephi J. Hodermarskyj ad Agriensem episcopum, data die 23 maji 1716, de unione a Procopio in Maramoroš inchoata, iam sermo est (24). Quapropter supradicta synodus sine dubio ante mensem maji 1716 celebrata est. Numerum vero sacerdotum unitorum ex aliqua subsequenti epistola episcopi Georgii Bizancij scimus. Bizancij, die 24 decembris anno 1721 Primatem Hungariae de progressu unionis informans, notavit se in Maramoroš ante annum 1720 solummodo 60 sacerdotes unitos habuisse (25). Ideo in supradicta synodo unionem non plus, quam 60 sacerdotes subscribere potuerunt, qui sacerdotes annis 1716-1720 sub directione Procopii Hodermarskyj sese eparchiae Mukačoviensi submittendo totam Ecclesiam unitam hac in provincia repraesentabant.

Apparet ergo unionem, a Patre Procopio actuatam, non valde extensam fuisse. Sine dubio, post longam praeparationem unionisticam a tempore Seraphini Petrovan in Maramoroš maior ad unionem expectabatur propensio. Probabiliter inclinatio unionistica inter clerum Maramorošiensem fuit maior, solummodo non omnes presbyteri huius provinciae obstacula unionis vincere potuerunt. Maxima autem unionis obstacula fuerunt: 1) oppositio calvinistarum et 2) incerta conditio Ecclesiae Unitae in Maramoroš.

Procopius non valens vincere talia obstacula, ad fratrem suum Josephum, Vicarium Generalem Mukačoviensem, scripsit, ut ille ad delendam oppositionem calvinistarum et ad stabilitatem Ecclesiae Unitae huius provinciae, tam apud Summum

---

(24) ASV, *Acta S. Congr. Consistorialis a. 1771*, f. 191v-192.

(25) HODINKA A., *Tört.*, p. 557.

Pontificem, quam apud Imperatorem, nominationem episcopi uniti pro Maramoroš peteret. Josephus J. Hodermarskyj, ut iam superius diximus, die 23 maji 1716, ad episcopum Agriensem epistolam dedit, in qua post descriptam situationem unionis Maramorošiensis, repetivit petitionem Procopii indicando periculum in mora electionis novi dissidentis Maramorošiensis episcopi (26).

Josephus J. Hodermarskyj, proh dolor, actionem suam de nominando episcopo unito in Maramoroš solummodo tramite ordinarii presulis latini tractare potuit, cum in nominatione episcopi Bizancij (1716) tota Mukačoviensis eparchia, ut vicariatus apostolicus, episcopo latino Agriensi, tamquam episcopo ordinario submissa esset (27). Attamen episcopi latini Agriae, haud faventes ritibus orientalibus, magis ad delendam, quam ad sublevandam Ecclesiam unitam satagebant. Ita et Gabriel Erdödy, eo tempore praesul Agriensis, licet Josepho J. Hodermarskyj omnia promitteret (28), nihil pro nominando episcopo unito Maramorošiensi suscepit.

Interea evenit, quod Josephus J. Hodermarskyj in epistola sua ut periculum indicavit. Anno 1718 monachus Uglensis, Dositheus Teodorovyč, in episcopum dissidentem Maramorošiensem electus atque consecratus est, necnon cum adiutorio ipsius consilii comitatus iurisdictionem exercere coepit (29). At non satis! Officiales comitatus catholicis infensi, unitos quoque presbyteros Dosytheo subdere et ita lente totam unionem Maramorošiensem extinguere volebant (30).

---

(26) ASV, *Acta S. Congr. Consistorialis a. 1771*, f. 191v-192. «...Et... quoniam pientissimo Illustrissimae ac Rev.mae Dominationis Vestrae Zelo Divinum numen Clerum Marmatiae S. Spiritus gratia afflare dignatum est, humillime is (Procopius), per suas iam transmissas, ac denuo per me supplicat... S. Unionem sustinere, et ne per Calvinistas (fortissime enim eandem evertere per intrusionem Episcopi Schismatici laborant) collabatur, tam apud Suam Sanctitatem, quam Augustissimum Imperatorem, necnon Eminentissimam Suam Serenitatem allaborare, ut quantocyus novis palmitibus his fulcimentum, utpote: Consecratus Episcopus praeficiatur... ».

(27) HODINKA A., *Tört.*, pp. 515-523; DULYSKOVYČ I., *Istoričeskija čerty Ugro-Russkich...*, vol. III, pp. 49-52.

(28) HODINKA A., *Tört.*, p. 527.

(29) PETROV A., *Staraja vera i unija*, vol. II, pp. 38-39.

(30) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 122-124.

Contra talem activitatem antiunionisticam consilii comitatus, clerus unicus Maramorošiensis protectionem quaerens ad Imperatorem se vertit. Imperator Carolus VI, initio anni 1719, pro defensione unitorum Maramorošiensium severam ad Gubernium Transylvaniae mittens epistolam, punitionem et admonitionem officialium huius comitatus petivit (31). Obtenta epistola Imperatoris, Gubernium Transylvanicum, die 27 februarii 1719, speciali decreto comitatum Maramorošiensem monuit, iussitque ne se officiales in res unitorum immiscerent (32).

Admonitio Gubernii Transylvanici fuit valde efficax, cum ab isto tempore unicus Maramorošiensis eparchiae plus non disturbarentur.

#### ART. 2. — ACTIO UNIONISTICA EPISCOPI GEORGII G. BIZANCIJ

Officiales comitatus Maramorošiensis, obtenta epistola gubernii, data die 27 februarii 1719 ut in articulo praecedenti diximus, subditos Procopii Hodermarskyi non amplius molestabant. Attamen, ex altera parte, a timore consecrationis novi episcopi dissidentis Dosithei Teodorovyč, fervor ad unionem inter fideles in Maramoroš relaxare videbatur. Propterea episcopus Mukačoviensis Georgius Gennadius Bizancij, ut unionem huius provinciae atque auctoritatem suam corroboraret, die 3 aprilis 1719 a Primate Hungariae Christiano Augusto de Saxonia auxilium petivit (33). Hae in petitione Bizancij omnimodam episcopatus Dosithei illegalitatem asserebat, dicens eum

---

(31) *IBIDEM*, pp. 123-124. « Carolus etc. expositum est maiestati nostrae humillime, qualiter clerus graeci ritus sacrae romanae catholicae Ecclesiae unicus alique Valachi pariter unicus in comitatu nostro Maramorošiensi ab eiusdem comitatus officialibus...gravibus diversimodo via oppressionibus et scomatibus indigne simul ac iniuriose proscinderent... Hinc vobis benigne committimus et serio mandamus, quatenus vos re bene ac diligenter examinata pro aequalitatis exigentia excessus corrigere remque ita ordinare, ut ulterior querimoniae causa propediatur comitatensesque reformatae religionis intra debitos observantiae ac modestiae cancellos contineantur, bona denique inter omnes mutua consensio colatur, debeatis ac teneamini, de quibus... ».

(32) CZIPLE S., *A marmarosí püspökség...*, pp. 122-123.

(33) HODINKA A., *Tört.*, p. 556.

esse episcopum intrusum nec ab Imperatore unquam nominatum. Porro, existentiam independentis eparchiae in Maramoroš impossibilem esse affirmavit, cum secundum eius sententiam omnes fideles graeci ritus in dioecesis latinae Agriensis territorio, et consequenter etiam Maramorošienses iurisdictioni episcopi Mukačoviensis subesse deberent. Denique supplicavit Primatem, ut ille Consilium Bellicum ad amovendum Dositheum Teodorovyč induceret.

Primas autem, forsitam non cognoscens situationem unionis in Maramoroš, noluit se directe in causam immiscere et Georgio G. Bizancij ad Agriensem episcopum recurrere consuluit (34). Attamen Bizancij post insuccessum epistolae Hodermarskyjiam parum fidebat in bona voluntate episcopi Agriensis (35), et propterea directe ad officiales Maramorošiensis comitatus scripsit petens ab iis episcopi Dosithei amotionem atque suae iurisdictionis agnitionem (36).

Officiales Maramorošiensis comitatus, qui noverant animum Imperatoris faventem Mukačoviensibus, praetentiones Georgii G. Bizancij aperte negare nolebant. Propterea episcopo Mukačoviensi rescripserunt eos non se imiscere in negotia ecclesiastica (37). Sed ex altera parte apud Governatorem Transylvaniae iterum protestabant contra praetentiones huius episcopi (38).

Bizancij, videns negativum suae petitionis exitum, ad Imperatorem se vertit (39) et non fuit deceptus. Nam Carolus VI, die 22 augusti 1720, decretum ad comitatum Maramorošiensem emisit, quo decreto iura Georgii G. Bizancij iterum affirmavit scribens «... quod licet clerus et populus graeci ritus in hoc comitatu vestro degens et commorans de iure et ab antiquo ad eiusdem (Mukačoviensis episcopi) ecclesiam pertineret, per consequens etiam spirituali ipsius iurisdictioni subesse deberet,

(34) HODINKA A., *Tört.*, p. 556.

(35) Videns exitum petitionis Josephi J. Hodermarskyj.

(36) Hoc elucet ex responsione comitatus Maramorošiensis. Cfr. CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 125.

(37) CZIPLE S., *A marmarosi püspökseg...*, p. 125.

(38) IBIDEM.

(39) HODINKA A., *Tört.*, p. 556.

schismaticus quidam episcopus, Dositheus noncupatus, ignoratur cuius autoritate, comitatum hunc vestrum subintraverit, qui spirituales iurisdictionem in antelati ritus clerum et populum exercendam... praesumit. Quia vero memorato instanti praetactum cum omnibus iuribus, obventionibus, emolumentis et iurisdictionibus de iure et ab antiquo eidem competentibus autoritate iuris patronatus nostri Regii ante aliquot iam abhinc annos clementer contulisse vellemusque eundem benigna hac regia concessione nostra inperturbate uti, frui ac gaudere;... idcirco vobis harum serie committimus et mandamus, quatenus acceptis praesentibus clero et populo praefati graeci ritus in medio vestri degenti et commoranti hoc significetis ut videlicet memoratum Georgium Gennadium Bizaneci pro suo vero et legitimo episcopo cognoscat, eius spirituali iurisdictioni subsit... praefatum vero schismaticum episcopum ab ulteriori exercitio praetensae spiritualis iurisdictionis distinctim inhibere debeatis et teneamini... » (40). Decretum hoc a Procopio Hodermarskyj statim praesentatum est in curia comitatus Maramorošiensis, et officiales volentes nolentes, id acceptare debere, licet executionem huius decreti quam maxime differre velent (41).

Bizancij ideo, ne officiales comitatus sub praetextu dilationis executionem decreti Imperatoris vi impedire possent, ad finem mensis augusti, ad Cancellariam Imperialem scripsit, petens ab ea mandatum pro Consilio Bellico ad concedendum sibi auxilium exercitus imperialis in Transylvania (42). Consilium Bellicum, de facto, mense septembri tale mandatum accepit, propter timorem autem ne novae controversiae cum Cancellaria Transylvaniae enascerentur, auxilium militiae pro executione decreti concedere cunctabatur (43). Itaque, emanato quoque decreto Imperatoris, nihil in Maramorošiensis eparchia usque ad finem anni 1720 mutatum est.

Initio anni 1721 questio auxilii militaris iam resoluta esse videbatur, cum ipse dux exercitus imperialis in Maramoroš Baro Kuckländer, capitaneus Chustensis, episcopo Georgio Bi-

(40) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 125-126.

(41) IBIDEM, p. 127.

(42) HODINKA A., *Tört.*, p. 557.

(43) IBIDEM.



zancij in auxilium veniret. Kuckläder, qui bonus subditus ac fidelis miles Imperatoris fuit, inoboedientiam Maramorošiensis comitatus tolerare noluit et die 21 februarii episcopo Bizancij scripsit, ut ille executionem decreti energice appeteret et ante omnia, Maramorošiensem comitem, Josephum Bethlen, a Dositheo Teodorovyč corruptum, iudicibus denuntiaret (44).

Obtenta hac epistola Capitanei Chustensis, Bizancij, iam certus de bona dispositione exercitus, oppositionem consilii comitatus non amplius timendam esse censebat, et ideo iurisdictionem suam in Maramoroš personaliter affirmare eamque publice proclamare sibi proposuit. Prius tamen, ut omnia secundum ius ecclesiasticum procederent, mandatum pro sua actione et praeprimis auxilium Ecclesiae Latinae a Primate petivit (45). Et de facto, die 5 augusti 1721, mediatione Primatis Bizancij a suo ordinario latino, episcopo Agriensi, « litteras pasuales ac commendatitias » obtinuit (46), quibus acceptis, in provinciam Maramorošiensem profectus est (47). Notandum enim est, iter hoc episcopi Mukačoviensis decisivum in historia ecclesiastica eparchiae Maramorošiensis fuisse, cum Bizancij illa occasione generalem unionem cleri in effectum deduxit.

(44) HODINKA A., *Tört.*, p. 557.

(45) HODINKA A., *Tört.*, p. 557.

(46) DULYŠKOVYČ I., *Istoričeskija čerty Ugro-Russkich*, vol. III, pp. 61-62. « Nos Gabr. Ant. C. Erdöy... Salutem in D. universis quibus competit, etiam officiorum nostrorum paratissimam commendationem. Quando quidem Rdmus D. Gecrgius Genn. Bizanczy Episcopus Sebastopolitanus nec non per D. Munkacs Gr. R. Un. Vicarius Apostolicus proxime Vienna redux Munkacsinum ad ordinariam residentiam suam, inde vero etiam in Marmatiam... vigore benigni mandati Caesaro-Regis 1720, 22 Aug. ad Comitatum Marmoros emanati Gr. r. un. Christi fideles ibidem iurisdictioni suae commissos visitandi causa proficisci intenderet, Nosque super litteris pasualibus, ac respective commendatitiis (mediantibus quibus iter suum tanto facillius, tutiusque prosequi valeret) debito cum honore requisivisset, eundem D. Eppum hinc Agria ex loco sano, et salubri discedere, requientes pari cum respectu Christi fideles universos, ac singulos, praesertim vero Comitatus Marmoros DD. Officiales, quatenus praetit. D. Eppum non modo ubique locorum libere, ac imperturbate ire, morari, redire permittant, ac per suos permitti faciant... ».

(47) Bizancij iter fecit adhuc mense augusto, quia post tantum laborem iam mense decembri fuit in monasterio Mukačoviensi.

Bizancij in provinciam Maramorošiensem ingrediens statim promulgavit decretum Imperatoris, iurisdictionemque suam in tota Maramorošiensi eparchia exercere coepit. Unus ex sacerdotibus huius provinciae, anno 1725, actiones Georgii Bizancij ita descripsit: «...quod non vacante Marmaros, Episcopo Dositheo in Moldavia a Metropolitano Schismatico consecrato iurisdictionem episcopalem exercente, Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Georgius Gennadius Bizanczy Episcopus Munkaciensis vigore decreti a Sacratissima Caesarea Regiaque Majestate benignissime emanati etc. Comitatum Marmarosiensem intraverit, iurisdictionemque episcopalem antiquo iure habitam occupaverit, praefatum Dositheum a iurisdictione episcopali prohibuerit, in cuius iurisdictionis possessione ad praesens tempus permanserit » (48).

Curia comitatus Maramorošiensis vero nihil valuit contra decretum Imperatoris et consequenter nec iurisdictionem Dosithei Teodorovyč salvare, nec actiones Georgii Bizancij impedire par erat (49).

Quae hucusque diximus spectabant tantum ad ordinem iuridicum. Remanebat labor principalis: propagatio unionis inter clericum et fideles.

Clerus Maramorošiensis eo tempore relate ad S. Unionem cum Ecclesia Catholica in 3 classes dividebatur. Ad primam classem pertinebant sacerdotes unionem aperte profitentes, qui, de facto, fuerunt iam primi collaboratores episcopi Seraphini Petrovan et postea in Synodo Maramorošiensi anno 1716, praesidente Procopio Hodermarskyj, explicite fidem catholicam professi sunt. Eorum numerus versabatur circa 60 ac magna ex

---

(48) DULYŠKOVYČ I., *Istoričeskija čerty Ugro-Russkich*, vol. III, p. 66. Textum originale in sua plenitudine invenimus in ASV, *Acta Congregationis Consistorialis anni 1771*, f. 194v.

(49) Adventu Georgii Bizancij consilium comitatus Maramorošiensis una cum gubernio Transylvanico contra eius iurisdictionem iterum protestabat. Attamen Procopius Hodermarskyj nomine sui episcopi, die 28 iunii 1721, proclamavit Georgium Bizancij iam Caesaro-Regio mandato iurisdictionem possidere et possidere velle, nisi haec suprema potestas Imperii alio modo deciderit. Tali modo finita est ultima oppositio comitatus. Cfr. CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 128.

parte habitabant in territoriis Imperatori pertinentibus; porro, hanc ad classem adnumerabantur quidam sacerdotes nobiles et liberi vel parochi magnorum pagorum, qui in materialibus non erant servi glebae adscripti dominorum terrestrium (50).

Sacerdotes secundae classis generatim erant servi glebae adscripti vivebantque in possessionibus dominorum calvinistarum ac fuerunt eorum subditi. Hi sacerdotes maxima ex parte rudes et inculti erant, qui praeter libros liturgicos nihil legabant, et proinde divergentias dogmaticas inter catholicos et dissidentes vix noverunt. Pro iis ideo unio cum Ecclesia Catholica, qua in vita liturgica nihil mutare debuere, potius momentum sociale, quam conceptum religiosum significavit, cum clerus huius classis per unionem liberationem a servitute glebae acquirere speraret. Magnum autem unionis obstaculum pro his sacerdotibus fuit timor a persecutionibus dominorum terrestrium et officialium comitatus. Propterea ille, qui eos ad unionem perducere volebat, homo magnae auctoritatis esse debuit, ut subditos suos non solum ad meliorem modum vivendi elevare, sed et ab ira dominorum calvinistarum protegere posset.

In fine, quidam monachi atque sacerdotes philoprotastici (magna ex parte nobiles) tertiam classem cleri Maramorošiensis efformabant. Hi omnes autem unioni cum Ecclesia Romana infensi erant. Eorum numerus non fuit elevatus et propterea in vita religiosa cleri Maramorošiensis momentum principale non habebant.

Ex dictis ideo patet episcopum Georgium de sacerdotibus primae classis parum praeoccupari debuisse. Illi iam ab anno 1716 catholici et membra eparchiae Mukačoviensis fuerunt eorumque fides supremas mereri potuit laudes. Ex altera vero parte pro episcopo Mukačoviensi colloquium cum presbyteris tertiae classi adherentibus labor inutilis fuisset, nam illi ad unionem nullo modo attrahi poterant. Itaque se convertit ad sacer-

---

(50) Tales parochi fuerunt in pagis Rachiv, Jasinja, Neresnica, etc. Hoc elucet ex inquisitione Procopii Hodermarskyj, anno 1725, de iurisdictione super Maramoroš, nam hac vice Hodermarskyj unioni et eparchiae Mukačoviensi magis favorabiles interrogavit. Vide: ASV, *Acta Congregationis Consistorialis a. 1771*, f. 193-198v; DULYŠKOVYĚ I., *Istoričeskija čerty*, vol. III, pp. 63-73.

dotes secundae classis, quos de facto durante ista visitatione omnes ad Unionem perduxit. Hoc Bizancij obtinuit absque magna difficultate, extendens ad eos immunitates atque privilegia specialia ab Imperatore pro tota Mukačoviensi eparchia concessa.

Uti iam in introductione sublineavimus, sacerdotes carpato-rouceraini ac romeni eparchiae Mukačoviensis ante Unionem Užhorodensem, quia non fuerunt catholici, non fruebantur immunitate ecclesiastica vel beneficiis. Propterea una et praecipua ex unionis conditionibus, a clero dissidente propositis, fuit semper immunitas ecclesiastica cum concedendis beneficiis (51). Huic conditioni primo Imperator Leopoldus satisfecit, qui tempore episcopatus Josephi J. De Camillis, anno 1692, sacerdotibus unitis eparchiae Mukačoviensis speciali decreto immunitatem concessit et insuper iussit fundorum ecclesiasticorum concessionem eorumque exemptionem. Ecce verba eius decreti: «...ex auctoritatis nostrae regiae plenitudine per praesentes benigne declarare volumus, quatenus graeci ritus Sacrae Romanae Ecclesiae unitorum tum ecclesiae ipsae, tum ecclesiasticae personae, tum eorum res in apostolico hocce regno eadem prorsus immunitate ecclesiastica gaudere debeant, qua ecclesiae personaeque ecclesiasticae et res fidelium S. Romanae Ecclesiae latini ritus ex ss. canonum praescripto et serenissimorum principum consensu, indultis et privilegiis effective perfrui gaudereque dignoscuntur... Ne vero domini terrestres, in quorum tenetis eiusmodi (fideles) graeci ritus commorantur, ansam habeant benignissimae huiusmodi nostrae dispositioni contraveniendi ex ea ratione, quod exemptione fundorum, in quibus ecclesiae, Parochiae reliquaue ad cultum Dei spectantia consistunt, onera servilia haecenus eis praestari solita diminuuntur, meminisse eos debere obligationis suae christianae ad ea, quae cultui Dei necessaria sunt, subditis suis providenda, ideoque ut habita incolarum cuiusvis loci epis-

---

(51) In documento Unionis Užhorodensis tertia conditio cleri Mukačoviensis ita sonabat: « Immunitatibus ecclesiasticis libere frui ». Cfr. NILLES N., *Symbolae...*, vol. II, p. 826; HODINEK A., *Okm.*, p. 164; LACKO M., *Unio Užhorodensis*, p. 105. Item in epistola Seraphini S. Petrovan: « Ut eadem immunitate ecclesiastica qua sacerdotes romano-catholici fruuntur et gaudent, gaudeamus ». Cfr. JORGA M., *Studii si documente*, vol. XII, pp. 283-284.

coporum vel ab his exmittendorum vicariorum suorum gremialium vel archidiaconorum conscientioso arbitrio, ubi et quantum hi necessarium pro ecclesiis, parochiis, coemeteriis, scholis iudicaverint, tantundem fundorum eximatur... » (52). Hoc decretum iam certe sufficebat, ut clerus unius eparchiae Mukačoviensis ad statum digniorem promoveri posset, tamen, pro dolor, ad plenam executionem praeattacti decreti sub episcopatu Josephi de Camillis tempus minus adaptum fuit. In Regno Hungariae, post devictionem turcarum, quidam domini terrestres tam magnis gaudebant potestatibus, ut Imperator solus eos propter inobedientiam vi plectere cunctabatur. Porro, tempore insurrectionis Francisci Rakoczi executio decreti Imperialis in oblivione relicta est, ita ut Bizancij eam iterum a novo Imperatore petere deberet.

Petitio Georgii G. Bizancij non fuit sine successu. Carolus VI, die 13 augusti 1720, diploma praedecessoris sui in favorem cleri praelibati emanatum benigne confirmavit, ac proinde iterum clerum hunc unius sortis et aequalitatis cum clero latino esse decrevit, necnon a conscriptione fundos paroeciales clementer exemit: « ...Hinc supplicatum extitit Majestati nostrae nomine et in persona antefati episcopi debita cum instantia humillime, quatenus eidem de condigno iuris conservationis, utpote ritus sui presbyterorum penes memoratum privilegium remedio benigne providere, et ne fundi ipsorum, in quibus parochias suas erectas haberent, conscribantur, verum in statu immunitatis relinquantur, vobis benigne committere, et mandare dignemur. Cuius Nos humillima supplicatione, regia benignitate nostra clementer exaudita, et admissa, siquidem aliunde etiam quemlibet fidelium nostrorum penes privilegia sibi a divi praedecessoribus nostris, utpote Hungariae regibus clementer concessa manutenere, et contra quosvis potentiores defendere nostrae regiae incumberet authoritati: sed et benignum Diploma Leopoldianum, quod memorati graeci ritus presbyteros cum latini ritus sacerdotibus unius (sortis), et aequalitatis esse indicaret, per Maiestatem Nostram, qua eiusdem divi olim Genitoris nostri haereditariorum regnorum, et provinciarum successorem

---

(52) HODINKA A., *Okm.*, pp. 347-350.

clementer manutenentem veniret: Idcirco vobis harum serie benigne, simulque firmiter committimus et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, intellectaque circa praemissa clementissima dispositione nostra et voluntate, primum et ante omnia ab eiusmodi fundorum parochialium conscriptione, nisi iidem domini terrestres jus patronatus eatenus habitum, amittere velint, statim et illico desistere, filiosque demum eiusmodi presbyterorum partim ad servitutum et colonicalem conditionem... reductos, partim vero stupendo sane modo venundatos, pristinae libertati restitui facere, pactoque tali huic clementissimae Commissioni nostrae obsequentissimum morem gerere debeatis et teneamini... » (53).

Obtento hoc potissimo decreto, Bizancij in Mukačoviensi eparchia omnia privilegia cleri uniti celeriter in actum deduxit. Et fecit hoc sine ulla difficultate, nam quasi omnes privilegiorum oppositores, id est, maiores domini terrestres, partem habentes in insurrectione Rakocziana, vel in exilium fugerunt, vel in carceribus Imperii includebantur, et eorum possessiones ab Imperio Austriaco confiscatae sunt. Ita, tempore itineris Maramorošiensis episcopi Georgii, clerus eparchiae Mukačoviensis iam gaudebat plena immunitate atque omnibus privilegiis latinorum.

E contra, in eparchia Maramorošiensis, et speciali modo pro clero secundae supradictae classis nulla concessa fuit immunitas. Licet consilium comitatus Maramorošiensis anno 1714, ut depositionem episcopi Seraphini Petrovan obtineret, theoretice parochis dissidentibus immunitatem adiudicavit, tamen uti innuimus, decisio haec fuit solum theoretica, cum immunitatem istam nullus ex dominis terrestribus in Maramoroš agnoscere et in effectum deducere vellet. Secundum Georgium Bizancij, ut ex eius epistola ad S. Congregationem de Propaganda Fide constat, adhuc tempore eius adventus clerus Maramorošiensis « ab acaatholicis Calvinianae heresis dominis terrestribus, publicis oneribus, contributionibus, immo etiam colonialibus laboribus pro mancipiis seu sclavis presbyteros Graeci ritus habendo, aggravaretur, atque affligeretur... » (54). Haec verba episcopi Muka-

(53) BASILOVITS J., *Brevis notitia...*, Lib. I, pars. II, pp. 153-154.

(54) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 636, f. 403rv.

čoviensis clare demonstrant, clerum Maramorošiensem de facto usque ad unionem, id est, ad annum 1721, nullam possedisse immunitatem. Propterea sacerdotes dissidentes huius provinciae liberationem ab eorum difficillimo iugo, sicut Judaei Messiam, expectabant. Et revera Bizancij in Maramoroš in persona talis liberatoris apparuit.

Bizancij itaque comitatum Maramorošiensem ingrediens sine ulla synodo unionistica presbyteros dissidentes visitare coepit (55) et huius visitationis occasione promittendo plenam immunitatem eos ad Unionem cum S. Romana Catholica Ecclesia attraxit. Ut ex eius epistola ad Primatem Hungariae patet, tempore visitationis 144 sacerdotes in Maramoros deposuerunt schisma atque personaliter professi sunt catholicam fidem (56). Fuit iste magnus successus, si consideramus, quod Maramorošiensis eparchia plus quam 200 sacerdotes nunquam habuit (57). Bizancij omnia fecit, ut horum unitorum sacerdotum petitionibus satisfaceret. Primo, omnibus immunitatem ecclesiasticam concessit; secundo, eos ab ira et persecutione dominorum auctoritate sua tegere conatus est. Attamen quasdam difficultates in concedenda immunitate ecclesiastica pro omnibus sacerdotibus invenit. Maior difficultas consistebat in eo, quod in multis pagis ad unam ecclesiam duo vel tres sacerdotes uniti pertinebant. Debebantne omnes eximi, vel solus unus parochus? Etiam hac vice episcopus Georgius prudenter procedebat. In omni pago tres immunitates ecclesiasticas, nempe pro parcho, pro cantore

---

(55) Episcopi Mukačoviensis visitationis Maramorošiensis tempore nulla synodus unionis celebrata est, nam in epistolis Georgii G. Bizancij scriptis ad Primatem Hungariae, ad episcopum auxiliarem Agriensem necnon ad S. Congregationem de Propaganda Fide, in quibus noster episcopus de unione Maramorošiensi scripserat, nulla indicatio de celebratione cuiusdam synodi invenitur. Porro, ex epistola episcopi Agriensis scimus Georgium Bizancij cum proposito clerum Maramorošiensem visitandi in hanc provinciam venisse. Cfr. DULYŠKOVYČ I., *Istoričeskija čerty...*, vol. III, p. 62.

(56) HODINKA A., *Tört.*, p. 557.

(57) Uti iam in introductione locuti sumus, omnes relationes Jesuitarum et episcopi Albae-Julienensis notant existentiam non plus quam 200 sacerdotum in eparchia Maramorošiensi. Cfr. ARSJ, *Litterae annuae Austriae 1771*, f. 40; APF, *Scrilt. rif. Congr. Generali*, vol. 580, f. 160-162; IBIDEM, vol. 584, f. 72v; NILLES N., *Symbolae ...*, vol. I, p. 389.

nec non pro aedituo, a consilio comitatus concedenda petebat et sacerdotes auxiliares in cantores ac aedituos nominabat. Totam suam actionem Bizancij optime describit in epistola ad vicarium generalem et episcopum auxiliarem Agriensem, Georgium Folgar: «...pro inducendo meliori ordine Cleri Marmarossiensis reductis iisdem ad gremium Sanctae Matris Ecclesiae, et unionem Sanctam ad singulas ecclesias ubi necessarium fore iudicavi, unum sacerdotem pro parochia designavi, cantores autem, et aeditui, seu sacristani, qui sunt necessarii ad servitia Ecclesiae, debuissent quidem assumi ex saecularibus rusticis, quia tamen hoc iudicavi non fore ad votum Inclyto Comitatus, nec clamarent exinde aliquod incommodum sibi provenire, utpote propter immunitatem inferendam et attribuendam personis ecclesiae inservientibus, ideo videns adhuc, exceptis sacerdotibus pro parochis consignatis, alios suppetere sacerdotes, eosdem ad aliquot ecclesias pro cantoribus. et edituis singillatim disposui, ut sic habiliores, in defectu, inveniantur ad peragenda Divina. Hos omnes tam pro parochis consignatos, quam etiam alios pro cantoribus, et aedituis ad quamlibet parochialem ecclesiam tres deputando in registro specificatos Inclyto Comitatus praesentavi, quod omnino applacidavit, verum quia non ex toto, pro hic et nunc quidem eosdem immunes agnoscat, relegat se tamen Communitas Marmarossiensis ad altiore dispositionem, in quo negotio, uti collimavi, requirent Illustrissimum Dominum Ordinarium Agriensem... » (58). Ut autem quaestio de concedenda immunitate propter negligentiam officialium statuum non differretur, Bizancij, die 29 iunii 1722, etiam ad S. Congregationem de Propaganda Fide, ut superius citavimus, de difficillimo statu cleri Marmarossiensis tramite Procuratoris Generalis Ordinis Sancti Basilii relationem misit et insimul petivit, ut S. Congregatio per Nuntium Apostolicum Viennensem ordinationem immunitatis cleri Marmarossiensis commendaret et acceleraret: «...Idecirco Reverendissimam ac Religiosissimam Pa-

---

(58) DULYŠKOVYĚ I., *Istoričeskija čerty...*, vol. III, pp. 62-63; ASV, *Acta Congr. Consistorialis a. 1771*, f. 192v; Documentum hoc interpretatum est a BALOGH M., *A marmarosi görög szertartásu orosz egyház és vikáriátus története*, Ungvár 1909, p. 20.



ternitatem obnixè rogo, quatenus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide hoc negotium repraesentare, et efficacissime recommendare dignaretur, ut atefata Sacra Congregatio SSmi Domini Nostri Apostolica auctoritate Nuntio Vientiensi causam hanc Cleri defendendam recomendare gratiose non dedignaretur... » (59).

Sacra Congregatio de Propaganda Fide de hoc negotio tractavit die 1 septembris 1722, ubi decisum est scribere Nuntio Viennensi, ut Bizancij petebat (60). Secretarius S. Congregationis Nuntio scripsit die 5 septembris 1722, cuius in epistola legi potest: « ...il Clero Greco unito... di Marmara, non solo resta in oggi oppresso dai Padroni scismatici coi pubblici pesi, e contribuzioni, ma vengono ancora dai medesimi obligati i sacerdoti di quel Rito, con vilipendio del proprio carattere, sino all'esercizi della campagna... si fa ogni sforzo, per operare, che vengono annullati, ed aboliti i Privilegii che suppone concessi ai Sacerdoti di Rito Greco, dalla chiara e pia memoria dell'Imperatore Leopoldo, e confermati dall'Imperatore regnante, e ciò col fine di spogliarli delle Immunità ecclesiastiche, e di ridurre i loro legittimi figli ad statum colonicalem, seu mancipatum. In nome dunque, e per parte di questa Sagra Congregazione io lo raccomando caldamente a V.S., poichè si contenti di prestargli la sua valida assistenza, ove e nel modo, che conoscerà potergli essere giovevole... » (61).

Epistola S. Congregationis et generatim actiones episcopi Bizancij non fuerunt sine successu, cum, ad finem anni 1722, immunitates sacerdotum unitorum Maramorošiensium ab officialibus comitatus ac omnibus nobilibus huius provinciae agnitae sint. Hae enim agnitione non solum status materialis sacerdotum melior evasit, sed Unio quoque Maramorošiensium terminata fuit.

Inter sacerdotes Maramorošenses nationis ucrainicae paucissimi remanserunt dissidentes. Et illi, qui in schismate remanserunt, ab anno 1722 omnino soli erant. Maior iam fuit oppo-

(59) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 636, f. 403r-403rv.

(60) WELYKYJ A., *Acta S. C. Prop. Fide*, vol. III, p. 200.

(61) WELYKYJ A., *Litterae S. C. Prop. Fide*, vol. III, pp. 210-211.

sitio ad unionem inductam ab episcopo Bizancij apud clerum romenum huius provinciae (62). Haec oppositio autem non contra ipsam unionem, sed contra iurisdictionem episcopi Mukačoviensis orta est. Sacerdotes romeni volebant habere episcopum romenum, quapropter et unionem cum episcopo catholico Transylvaniae inire conati sunt. Iam tempore visitationis episcopi Mukačoviensis fuerunt pertractationes inter clerum romenum Maramorošiensem et eparchiam unitam Transylvaniae, quarum pertractationum in conclusione quidam Archipresbyter Transylvaniae in provinciam Maramorošiensem venire debuit, ut sacerdotes romenos ibi uniret et super eos iurisdictionem exerceret. Ipse Georgius Bizancij hoc negotium in epistola ad episcopum auxiliarem et vicarium generalem Agriensem, Georgium Folgar, meminit: « Quidam Archipresbyter Colouzensis ex Transylvania, promisit se venturum cum nova iurisdictione, contraveniendo meae spirituali, in praefatum Marmaros, quod foret praeiudiciosum Illustrissimo Ordinario » (63). Talis autem modus agendi romenorum magnam controversiam inter eparchias unitas romenorum et ucrainorum inchoavit.

### ART. 3. - DE EPARCHIAE MARAMOROŠIENSIS MUKAČOVIENSI ADNEXU

Visitatio Maramorošiensis episcopi Georgii G. Bizancij prae-ter unionem alium quoque in vita ecclesiastica ucrainorum et romenorum Maramorošiensium effectum habuit, nempe, reunionem ipsius eparchiae Maramorošiensis cum eparchia Mukačoviensi.

---

(62) HODINKA A., *Tört.*, p. 558.

(63) ASV, *Acta S. Congregationis Consistorialis a. 1771*, f. 193; DULYKOVYĚ I., *Istoričeskija čerty...*, vol. III, p. 63. Auctor autem in transcriptione textus quasdam mutationes induxit. Ipse supradictum Archipresbyterum « Colocensem » esse scripsit. Colocensis idem est ac « de Kalocsa », quae expressio autem in textu originali impossibilis est, nam oppidum Kalocsa fuit semper in Hungaria et non in Transylvania. In epistola Georgii Bizancij habetur « Colouzensis », quod idem est ac « Kolozsensis » seu « de Kolozs(vâr) » romenice « Cluj ».

Eparchia Maramorošiensis, ut talis, ab episcopis Mukačoviensibus nunquam erecta considerabatur; pro iis Maramoroš fuit pars eparchiae Mukačoviensis, quae S. Unionem non acceptans in dissidentia remansit et illegaliter sibi episcopum dissidentem elegit. Titulusque « Maramorošiensis episcopi » semper ut contitulus episcopi Mukačoviensis consideratus est (64). Propterea, Bizancij, assumens iurisdictionem super hanc provinciam, se ipsum in catholicum episcopum Maramorošiensem proclamavit et antiquum titulum suum novo titulo « episcopi Maramorošiensis » auxit (65). Ut autem provincia Maramorošiensis in eparchia Mukačoviensi quamdam saltem autonomiam conservare posset, Bizancij loco dissidentis eparchiae specialem vicariatam instituit et in primum suum Maramorošiensem vicarium Procopium Hodermarskyj promovit (66).

Reductio eparchiae Maramorošiensis ad vicariatam subiectam episcopo Mukačoviensi in clero ucraino huius provinciae magnam oppositionem non suscitavit. Quinimmo, multi presbyteri Maramorošienses sub iurisdictione Mukačoviensis episcopi omnino contenti erant. Ex. gr.: Parochus Bočkoviensis in inquisitione de iurisdictione super Maramoroš, anno 1725, « nullam iniuriam, neque querelas a praetitulato Domino Episcopo Munkaciensi, vel eius Vicario se habere fatetur et cognoscit, sed contentum se, et Clerum Episcopo Munkaciensi affirmat » (67).

(64) Hoc iam elucet ex epistola Josephi J. De Camillis, scripta anno 1692 ad Imperatorem Austriae. Cfr. HODINKA A., *Okm.*, p. 346. Quod postea clare confirmatur ab episcopo Bizancij. Vide HODINKA A., *Tört.*, p. 556.

(65) Ante visitationem Maramorošiensem Georgius Bizancij ut « episcopus Sebastopolitanus et Munkaciensis » (Cfr. BASILOVITS J., *Brevis notitia...*, Lib. I, pars II, p. 152) subscribebatur. Visitatione autem conclusa eius titulus fuit: « Episcopus Sebastopolitanus, Munkaciensis et Maramorošiensis ». Cfr. DULYSKOVYĚ I., *Istoričeskija čerty...*, vol. III, pp. 63, 64, 73, 77, 96, 98.

(66) *Schematismus Cleri dioecesis Munkaciensis anni 1878*, Ungvarini 1878, pp. 152-153; BALOGH M., *A Marmorosi g. egyház*, p. 28. Auctor sine ratione definitivam Procopii nominationem in vicarium in anno 1723 ponit. Sententia autem haec reiicienda est, cum Procopius die 28 iunii 1721 in officio comitatus iam ut « vicarius episcopi Bizancij » loqueretur. Cfr. CZIFLE S., *A marmorosi püspökség...*, p. 128.

(67) ASV, *Acta S. Congr. Consistorialis a. 1771*, f. 194v; DULYSKOVYĚ I., *Istoričeskija čerty...*, vol. III, p. 66.

Simili modo Parochus Kirvensis Alexius « scit plurimos ex Clero esse contentissimos, imo unice sibi exoptare gubernium Episcopi Munkacsensis, prouti et fatens id ex corde desiderat » (68). Fuerunt tamen sacerdotes, qui iurisdictioni episcoporum Mukačoviensium subesse nolebant, desiderabantque restaurationem episcopatus Maramorošiensis. Ita, mortuo Georgio Bizancij, anno 1734, quidam protopresbyter Hrušoviensis, Joannes Stojka, clerum Maramorošensem ad synodum in oppido Maramoroš-Sihot invitavit, ut ibi novus autonomus Maramorošiensis episcopus eligi posset (69). Fortunae gratia autem eius invitatio sine successu remansit.

Maior tamen fuit oppositio ex parte sacerdotum romenorum, qui, iurisdictionem episcopi Mukačoviensis omnino reiicientes, primis temporibus nec eius vicariatum acceptare volebant. Hi romeni tamen propter reconfirmatam iurisdictionem Maramorošensem episcopi Georgii G. Bizancij ad finem anni 1722 positionem mutare debuerunt et, ut ex epistola protopresbyteri Basilii Rednik (70) elucet, omnes suprematiam episcopi Mukačoviensis agnoverunt, sed de hac quaestione infra copiose tractabimus.

Non obstantibus his difficultatibus, Procopius Hodermarskyj sedem suam vicarialem anno 1722 in oppido Maramoroš-Sihotensi fixit et clerum huius provinciae prudenter ad oboedientiam atque disciplinam educare coepit. Vivente adhuc vi-

(68) ASV, *Acta S. Congr. Consistorialis a. 1771*, F. 196; DULYŠKOVYĀ I., *Istoričeskija čerty...*, vol. III, p. 68.

(69) PETROV A., *Staraja viera i unija...*, vol. I, pp. 25-26. Auctor publicat epistolam novi episcopi Simeonis Olšavskyj: « Notum est... Universitati, quod in hocce... Regno Hungariae ab exordio huius... regni ius eligendi et nominandi episcopos non alteri, sed soli Hungariae Regi... conveniat. Non obstante tamen hoc, nescitum quibus praesumptiosis motivis inductus, presbyter Kővesligetensis Ivanovics (!) Sztójka cum Jona presbytero Völcshocensi (Vulchovcensi), magnam confusionem et turbas in clero Maramarosensi suscitare inceperunt eundemque clerum minis birsagiis, partim dolo in id inducere... conantur, ut gremio suo quempiam in episcopum eligerent, ex quo vero hoc esset summe praepudiosum tum iuri Regio, tum etiam iuri meo... ». Denique apud CZIFLE S. (*A marmarosi püspökség...*, pp. 146-147) invenitur epistola huius episcopi, scripta a. 1735, ad Imperatorem.

(70) CZIFLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 131.

cario Procopio, ex beneficentia zelosi cuiusdam viri saecularis, Antonii Rudolphi Edtlbek, inspectoris salinarum, anno 1723 in Maramoroš-Sihot fundus pro aedificio officii Vicariatus emptus est, in quo hortatu perinde Georgii Bizancij atque ipsius vicarii ex benevolis cleri Maramorošiensis oblati, ipsa brevi etiam domus vicarialis exsurrexit (71). Quae domus fuit sedes omnium vicariorum Maramorošiensium usque ad dismembrationem ipsius vicariatus.

#### ART. 4. - DE SORTE EPISCOPI DOSITHEI TEODOROVYČ

Episcopus Dositheus Teodorovyč, senex 73 annorum (72), anno 1721, ut iam diximus, visitationis episcopi Georgii Genadii Bizancij occasione, omni iurisdictione episcopali privatus est (73). Ideo in suo dissidenti monasterio Uglensi commorabatur, ibique, ut archimandrita huius monasterii, pacificam ducebat vitam (74). Quoadusque Procopius Hodermarskyj vicariatus Maramorošiensi praefuit, Teodorovyč episcopalem potestatem haud exercitavit. Procopio tamen anno 1726 vita functo (75), Dositheus ad ordinationes sacerdotales modo secreto processit. Ob timorem tamen episcopi Georgii G. Bizancij subditos episcopi Mukačoviensis sacris initiare ordinibus non est ausus, sed romenos, ex eparchia Fogarasiensi venientes ordinabat. Contra hanc illegalem et insuper praxi ecclesiasticae contrariam activitatem ultimi dissidentis Maramorošiensis episcopi, Joannes Pataki, Presul Fogarasiensis, apud Gubernatorem Transylvaniae protestavit. Gubernator, Sigismundus Kornis, protestatione episcopi Fogarasiensis obtenta, die 18 novembris 1726, Dositheum

(71) BALOCH M., *A Marmarosi g. egyház.*, p. 28.

(72) PETROV A., *Staraja vera i unija...*, vol. I, p. 20. Anno 1719 praeracta est inquisitio in monasterio Kryčoviensi, ubi « primus testis episcopus Ruthenus Dosotheus Ugolsky, annorum 71 », fuit.

(73) Vide paginam 69.

(74) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 135-136; PETROV A., *Staraja vera i unija...*, vol. II, p. 39-40.

(75) *Schematismus Munkacsiensis a. 1878*, p. 153.

penes Gubernium Transylvanicum adcitavit et sub poena incarcerationis ei omnimodam activitatem episcopalem in Transylvania prohibuit (76). Dositheus inhibitione Gubernii obtenta, episcopo Joanni Pataki astensionem ab omni actu episcopali promisit (77).

Attamen anno 1727, Joanne Pataki vita functo, ipse activitatem suam episcopalem iterum exercere praesumpsit et ad promotionem quorundam fidelium Fogarasiensis eparchiae ad ordines sacros procedere ausus est. Contra hanc eius activitatem in synodo eparchiali Fogarasiensi, anno 1728, « conclusum est debere scribi memoriale excelso Gubernio de Dositheo quodam apud schismaticos ordinato episcopo nunc in Maramaros residente, ne praesumat ullum e Transylvania ad se venturum ordinare, prout et ipse pie defuncto Illustrissimo Domino Episcopo sub gravi poena incurrenda promisit se nunquam id tentaturum » (78).

Gubernator Transylvaniae, iterum sub poena incarcerationis ordinationem sacerdotalem concedere Dositheo prohibuit et insuper omnibus officialibus suis iussit, ut magis observarent vitam huius dissidentis episcopi (79).

Anno 1729 in episcopum Fogarasiensem nominatus est Joannes Innocentius Klein (Micu), cui Dositheus iterum promisit astensionem ab activitate episcopali, tamen nec hac vice quidem promissioni satisfecit. Hac de re, anno 1731, Joannes I. Klein ad Imperatorem scribens, inquit: « ...contigit, ut schismaticus episcopus in Maramaros latitans nec ulla autoritate publica ad hoc munus constitutus filium suum et unum archidiaconum ad me post clementissimam mei in episcopum nominationem miserit mihique sancte promiserit, quod ab omnibus episcopalibus functionibus praesertim ab ordinationibus velit abstinere, dummodo sinatur in aliquo monasterio quiete vivere, quod promissum suum illibate observavit usque ad mortem defuncti Pontificis Benedicti XIII et post vero indignos idiotas,

---

(76) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 135-136.

(77) NILLES N., *Symbolae*, vol. I, p. 494.

(78) IBIDEM.

(79) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 139. Hoc mandatum Gubernatoris die 26 novembris 1728 emanatum est.

rudes et inhabiles ad se venientes et iurisdictioni Fogarasiensi subiectos promiscue ordinavit, imo et per litteras pro ordinatione invitavit absque ullis dimissorialibus ordinarii sui eiusque vicariorum, non sine magno detrimento et praeiudicio dominorum etiam terrestrium... » (80).

Imperator Carolus VI obtinens epistolam Joannis Innocentii Klein, anno 1733, die 16 octobris (81), ut ex protocollis consilii imperialis de die 30 octobris 1733 extat, per consilium imperiale officiales comitatus Maramorošiensis admonuit, ne Dositheo ordinare perditterent: « Sua Majestas sub 16 octobris rescribit: quod certus Dosotheus Theodorovics vocatus graecus ritus episcopus, qui... ex mandato Suae Majestatis ab attendendis presbyterorum ordinationibus severe inhibitus fuit,... nunc in monasterio Uglensi, comitatui Maramorošiensi adiacente delitescit, quosvis rudes et ad presbyteratum ineptos pro antelato graeco ritu, et quidem ex unitis ordinare iterum soleat. Hinc mandat Sua Majestas, quatenus Consilium praefato comitatui serio intimet, ut memoratum graeci ritus episcopum ab exercitio spiritualis iurisdictionis et episcopalium munitiorum districtim inhibeat » (82). Attamen imperiale Consilium, severitati comitatus Maramorošiensis parum fidens, activitatem Dositheo per metropolitam Belgradensem suspendere studuit: « Poterit quidem iuxta hocce mandatum ad Comitatum scribi, addendo ut super progressu et responso huius episcopi informet. Ex quo autem Supremus Comes cum reliquis officialibus Calvinianae sectae adhereret, vix sperari potest, quod is executioni invigilabit, et fors satius foret, Metropolitanae Belgradensi committere, ut hunc abusum sui subordinati corrigat, etiam mediis severioribus, et ad id necessariis, cum comminatione, quod alias Sua Maiestas similia media arripere necessitetur » (83). Actiones

(80) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 142.

(81) Minus recte Hodinka (*Tört.*, p. 558), qui epistolam Joannis Innocentii Klein atque mandatum Imperatoris anno 1730 posuit. Cziple, publicans epistolam episcopi Fogarasiensis, clare notat annum 1731. Ex protocollis vero Consilii imperialis clare patet Imperatorem solummodo anno 1773 mandatum suum emisisse. Vide notas (80), (82).

(82) HAUS-HOF-STAAATS-ARCHIV in Vienna, *Hungarica*, vol. 229. f. 57rv.

(83) IBIDEM, f. 58r.

autem Imperatoris et Consilii fuerunt inutiles, nam Dositheus mense octobri anni 1733 obiit. « Idem Comitatus (Maramorosiensis) sub eodem (die 24 nov. 1733) ad Decretum sub 30 octobris in eo emanatum, ut Dosotheo Theodorovics graeci ritus episcopo exercitium spiritualis iurisdictionis et ordinationem presbyterorum inhibeat, informat: Dictum episcopum iam ante quinque hebdomadas mortuum esse » (84).

---

(84) HAUS-HOF-STAATS-ARCHIV in Vienna, *Hungarica*, vol. 229, f. 59r.





## CAPUT QUARTUM

### CONTROVERSIA DE IURISDICTIONE SUPER FIDELES MARAMOROŠIENSES

Sacerdotes romeni Maramorošiensis iam tempore visitationis episcopi Georgii Gennadii Bizancij cum eparchia romena Fogarasiensi pertractationes de eorum unione ac submissione instituerunt. Ut ex epistola episcopi Bizancij, data 30 ianuarii 1722, elucet, quidam archipresbyter Kolozensis in comitatum Maramorošiensem venire accingebatur, ut clerum romenum, post eius unionem, eparchiae Fogarasiensi subiiceret (1). Hac vice autem actio dicti protopresbyteri sine successu remansit, nam Bizancij anno 1720 ab Imperatore iurisdictionem non solum super ucrainos, sed super omnes fideles unitos comitatus Maramorošiensis obtinens (2), eidem ingressum in hunc comitatum omnino impedivit. Itaque clerus romenus in Maramoroš, volens nolens, versus finem anni 1722, iurisdictionem episcopi Mukačoviensis agnoscere debuit (3).

Joannes tamen Pataki, episcopus Fogarasiensis, non obstante agnita iurisdictione episcopi Mukačoviensis submissionem Maramorošiensium iterum tentare studuit. Ea de causa initio anni 1723 ad obtinendam iurisdictionem super Maramoroš au-

---

(1) Vide paginam 77.

(2) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, pp. 125-126.

(3) IBIDEM, p. 131. Auctor epistolam protopresbyteri Basillii Rednik publice edidit, in qua legimus, quod etiam romeni per aliquod tempus dependebant ab episcopo Mukačoviensi: «...ennek előtte bizonyos ideig függvèn az marmarosi görög rituson lévõ oláh ès oroszszág az méltósàgos munkàcsi püspöktől... ».

xilium gubernatoris Transylvaniae exposcebat. Et, de facto, Sigismundus Kornis, eo tempore gubernator Transylvaniae, exaudiens instantiam episcopi Joannis Pataki, medio eiusdem anni, iussit, ut ecclesiae unitae comitatus Maramorošiensis iurisdictioni episcopi Fogarasiensis subessent (4). Hocce vero emanato gubernatoris mandato, eparchiam Mukačoviensem inter et Fogarasiensem magna circa iurisdictionem in Maramoroš orta est controversia.

Interim Pataki, vigore mandati gubernatoris, probabiliter per suum delegatum, sacerdotum romenorum Maramorošiensium professionem catholicae fidei obtinuit, eosque suae iurisdictioni adscripsit. Hunc eventum unus ex protopresbyteris Maramorošiensibus, Basilius Rednik ita descripsit: «...anno elapso exc. dominus noster episcopus Fogarasiensis nob. Joannes Pataki secundum decretum excelentissimi domini nostri (Gubernatoris) nos reunivit atque ad suam dioecesim revocavit... » (5).

Contra hanc actionem episcopi Fogarašiensis episcopus Georgius G. Bizancij, die 24 octobris 1723, apud Primate Hungariae institit, ut ille auctoritate sua iurisdictionem Maramorošiensem Joannis Pataki irritam declararet. Primas, hanc in controversiam se immiscere nolens, eum iterum ad Agriensem episcopum direxit (6). Agriensis vero episcopus, Gabriel Erdödy, ut Bizancij ius suum ad iurisdictionem super Maramoroš probare posset, initio anni 1725, per suum vicarium, episcopum Georgium Folgar, mandatum inquisitionis emittere fecit (7). Inquisitio haec, die 11 martii 1725, sub directione Procopii Hodermarskyj, Ordinis S. Basilii et Alberti Kovács, Ordinis Minorum, capellani latini Maramoroš-Sihotiensis, initium habuit, in qua testes ad sequentes respondere debuerunt quae-

(4) HODINKA A., *Tört.*, p. 559; CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 131.

(5) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 131. «...tavaly fogarasi méltóságos püspökünk Pataki Nemes János uram ö nagysága kegyelmes urunk ö felsége decretuma mellett reuniált és revocált ad suam dioecesim... ».

(6) HODINKA A., *Tört.*, pp. 559-560.

(7) DULYŠKOVYČ I., *Istoričeskija čerty...*, vol. III, pp. 63-64; ASV, *Acta S. Congregationis Consistorialis a. 1771*, fol. 193-193v.

stiones: « 1) Scit ne testis, aut audiverit, ante Josephi Sztojka episcopi Maramarosiensis tempora episcopos Munkacsienses in Comitatu Maramarosiensi iurisdictionem episcopalem habuisse et exercuisse?... - 2) Scit ne testis, aut audiverit, quod... Josephus Sztojka... penes collationes Michaelis Apafi acatholici quondam Principis Transylvaniae, sit episcopus in Marmaros absolutus declaratus, et... absque ulla dependentia ab episcopo pro tunc Transylvaniae Athanasio, per annos plures episcopatum in Marmaros tenuerit, et administraverit, et an pro tunc Athanasius episcopus Transylvaniae iurisdictionem in Marmaros habuerit nec ne? - 3) Scit ne testis quod unio cum S. Romana Ecclesia, cura et sollicitudine praesulea exc. domini Comitis Gabrielis Erdödy episcopi Agriensis... per Munkacsiensem rev. dominum Josephum Hodermarszky et eiusdem fratrem, patrem Procopium Hodermarszky, et non per Athanasium episcopum Transylvaniae sit introducta et propagata in Marmaros? - 4) Scit ne testis, quod non vacante sede in Marmaros, sed episcopo Dositheo,... iurisdictionem episcopalem plenariam in Marmaros exercente, ill.mus ac rev.mus dominus Georgius Gennadius Bizaneij episcopus Munkacsiensis cum decreto sac. Caesareae Regiaeque Maiestatis... Comitatum Marmaros intraverit, vigore cuius decreti benignissimi a iurisdictione episcopali praefatus Dositheus episcopus prohibitus et praeattactus dominus Episcopus iurisdictionem episcopalem in Marmaros plenariam capessiverit, in cuius actuali possessione esset? - 5) Quid clerus querularum habeat contra ill.mum ac rev.mum dominum episcopum Munkacsiensem, eiusque vicarium? » (8).

Ut testes, auditi sunt 38 sacerdotes uniti ex Maramoroš, qui clare ac unanimiter recognoverunt episcopum Mukačoviensem Joanicium Zejkan et Basilium Tarasovyč in Maramoroš iurisdictionem episcopalem exercuisse, Josephum Stojka absque ulla dependentia ab episcopo Transylvaniae eparchiam Maramorošiensem gubernasse, unionem in Maramoroš per Josephum Hodermarskyj eiusque fratrem Procopium introductam fuisse,

---

(8) DULYŠKOVYČ I., *Istoričeskija čerty...*, vol. III, pp. 64-65; ASV, *Acta S. Congregationis Consistorialis a. 1771*, f. 193v-194.

et episcopum Georgium G. Bizancij, vivente episcopo dissidente Dositheo Teodorovyč, iurisdictionem super hunc comitatum accepisse. De cetero, nemo testium contra episcopum Mukačoviensem eiusque vicarium querelam habuit (9).

Hisce ex testimoniis ius Mukačoviensis episcopi ad iurisdictionem super Maramoroš omnino probari videbatur. At non omnibus! Nam episcopus Fogarasiensis atque Gubernium Transylvaniae inquisitionem hanc, ut fructum propagandisticum actionis Procopii Hodermarskyj, considerabant. Et, de facto, omnes testes huius inquisitionis fuerunt sacerdotes ueraini. Romeni vero, propter prohibitionem emanatam a tribus protopresbyteris, Joanne Stojka, Michaele de Apsa et Basilio Rednik, in dicta inquisitione partem habere haud potuerunt (10). Quinimmo, Basilius Rednik nomine cleri romeni Maramorošiensis ad Gubernium Transylvaniae epistolam contra « illegales » actiones Procopii Hodermarskyj scripsit (11).

Episcopus Agriensis autem ex depositione testium, non obstante oppositione cleri romeni, iurisdictionem episcopi Mukačoviensis super fideles Maramorošienses omnino confirmatam esse iudicabat et ab illo tempore Georgium G. Bizancij in controversia cum episcopo Fogarasiensi adiuvaré suscepit (12).

Interea Procopius Hodermarskyj occasione inquisitionis totum Maramorošiensem comitatum iterum suae potestati subicere conatus est et Joanni Pataki, episcopo Fogarasiensi, visi-

---

(9) DULYŠKOVYČ I., *Istoričeskija čerty...*, vol. III, pp. 65-72; ASV, *Acta S. Congregationis Consistorialis a. 1771*, f. 194-198.

(10) DULYŠKOVYČ I., *Istoričeskija čerty...*, vol. III, pp. 72-73. « Quod vero reliqua pars Cleri Gr. r. unit. Maramarosiensis iuxta exhibitum nobis compulsorium non sit examinata, Protopopae 3. Kővesligetiensis Joannes Sztojka processus inferioris; Processus Szigethiensis: Michael Apsaensis; et Basilius Rednik processus Kaszò, in facie I. Comitatus tempore congregationis circa diem 23 mensis januarii celebratae compulsorio pertinaciter (Comitatensibus quidem se non ingerentibus) contradicentes sibi Popas, seu presbiteros, alias libenter et ultro nec plerosque comparere volentes, a comparando et a dicenda veritate minis prohiberunt... ».

Haec sunt verba extracta ex ipsa inquisitione.

(11) CZIPLE S., *A marmarosi püspökség...*, p. 131. « ...most a munkács tisteletes vicarius uram holmi becsületes paterekkel bejövén, bennünket új hittel azon méltóságos munkácsi püspök uramhoz akar kötelezni, a papokat külömb-külömbféle birságokkal és exaktiokkal enerválván... ».

(12) HODINKA A., *Tört.*, p. 560.

tationem fidelium Maramorošiensium, nomine sui episcopi Georgii Gennadii Bizancij, omnino prohibuit. Contra talem agendi modum Mukačoviensium Joannes Pataki ad Nuntium Apostolicum Viennensem appellavit. Conditio autem Nuntii Viennensis in hac controversia fuit valde difficilis, cum eodem tempore etiam Georgius Gennadius Bizancij per suum agentem Viennensem Imperatori de iure suo litteras memoriales praesentare intenderet (13). Ideo Nuntius, ne ab Imperatore decisio dispositionibus Sanctae Sedis contraria emitteretur, die 14 aprilis 1725, totam controversiam S. Congregationi de Propaganda Fide resolvendam praesentavit: « Da Mons. Pataky Vescovo Fogarasiense di rito Graeco nella Transilvania mi fu già scritto, che havendo voluto visitare il Contado Marmarusiense, il quale asserisce essere soggetto alla sua giurisdizione, gli si oppose Mons. Vescovo Sebastopolitano, Vicario Apostolico de' Greci Uniti di Monkatz, richiedendomi che volessi prestargli la mia assistenza per essere mantenuto in possesso della stessa giurisdizione. All'incontro l'istesso Vicario Apostolico di Monkatz voleva far presentare un Memoriale all'Imperatore, supplicare la Maestà Sua a non permettere, che la giurisdizione sopra il contado sudetto, che suppone appartenere a se, sia occupata da altri, dal che io ho trattenuto il suo agente, dicendogli, che havrei supplicato cotesta Sacra Congregazione a dichiarare a chi spetta una tal giurisdizione. Per quietar dunque l'uno, e l'altro, ardisco pregare umilmente l'Eminenza Vostra a degnarsi di significarmi sopra di ciò i sensi della Sacra Congregazione » (14).

In Congregatione de Propaganda Fide hac de quaestione die 7 maji 1725 tractatum est, tamen absque ulla decisione, quia cardinales praesentes, antequam quodlibet consilium caperent, uberiores informationem de comitatu Maramorošiensi eiusque religiosa conditione habere desiderabant (15). Itaque secretarius huius Congregationis Nuntio Viennensi hoc modo rescripsit: « Riferitasi in questa S. Congregatione la differenza accennata da V. S. nel suo foglio dei 14 dello scorso, che verte

---

(13) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 648, f. 19rv-19v.

(14) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 648, f. 19iv-19v.

(15) WELYKYJ A., *Acta S. Congr. de Prop. Fide*, vol. III, pp. 228-229.

tra Mons. Patacki vescovo Fogariense di Rito Greco, e Mons. vescovo Sebastopolitano, Vicario Apostolico de Greci uniti di Montatz, circa la giurisdizione sopra il Contado Marmarasiense, desiderano questi Eminentissimi miei Signori, prima di risolvere su tal'affare, qualche maggior informazione dei fondamenti, à quali appoggiano rispettivamente i suddetti Prelati le loro ragioni » (16).

Nuntius, acceptis litteris S. Congregationis, a praefatis Mukačoviensi ac Fogarasiensi episcopis de Maramorošiensis iurisdictione informationes quaesivit. Elaboratio autem talis informationis episcopo Joanni Pataki vix possibilis fuit. Etenim ipse conditionem religiosam comitatus Maramorošiensis non cognoscebat et propter magnam distantiam ac prohibitionem episcopi Mukačoviensis nec cognoscere potuit. Itaque petitam informationem Bizancij solus ad S. Congregationem de Propaganda Fide transmisit (17). In prima suae informationis parte episcopus Mukačoviensis damnum e controversia exortum describere conatur: « Dominus Joannes Pataky episcopus Fogarasiensis, in quo nemo ipsius antecessorum habuit iurisdictionem Episcopatum Maramorošensem praetendit, et a quo tempore praefatus dominus Episcopus incepit iurisdictioni suae subiectare populum nostri Graeci Ritus Uniti in Maramoros, uti errantes sine Pastore oves hinc inde divagari assolerent, ita plebs eadem Maramarusiensis in omnis generis irregularitate ducit vitam, nec sine gravi scandalo et ruina miserae plebis Vicariatibusque mei Apostolici accidit, quod quidam Dosotheus, ante unionem ad huc illegaliter auctoritatem sibi vindicans episcopalem, nunc inter me et dominum Episcopum Fogarasiensem litigantes, iterum ad priora cupit reducere populum... » (18). Postea vero Bizancij suam activitatem unionisticam in praedicto comitatu exposuit: « Vigebat quidem cum consolatione S. Unio in Maramarus et ipsemet etiam cooperabam extruendo scholam et parochiam in principali eiusdem Comitatus oppido Szigeth dicto, ut eo magis juventus in timore Divino et litteris

---

(16) WELYKYJ A., *Litterae S. Congr. de Prop. Fide*, vol. III, pp. 267-268.

(17) APF, *Scritt. rif. nei Congressi Greci di C.D.S.T.U.*, vol. I, f. 193.

(18) APF, *Scritt. rif. nei Congressi Greci di C.D.S.T.U.*, vol. I, f. 193.

educetur in servitium animarum, sed per praetentionem praedicti d. Episcopi Fogarasiensis ista prorsus evanescent... » (19). In fine scripsit: « Iurisdictionem vero Maramarusiensem spectare ad Episcopum Munkaciensem demonstrant variorum Principum collationes, quod et ipsa modo peracta in Maramarus inquisitio multorum testium positionibus demonstrat » (20).

Attamen Congregatio ex hac informatione Georgii Gennadii Bizancij nihil decisionis emittere ausa est et tali modo dicta controversia adhuc per tres annos duravit. Hoc confirmat secunda epistola episcopi Mukačoviensis data 24 junii 1727 ad S. Congregationem: « ...negotium taliter convulsae iurisdictionis meae, (quod) notabili iam tempore tum apud Augustam Caesareo-Regiam Aulam, tum apud Nuntiaturam Apostolicam Vienne Austriae continuo adurgeo, necdum tamen finem decisionemque haud consecutum est... » (21).

Episcopo autem Fogarasiensi Joanne Pataki mense novembri 1727 vita functo, Bizancij, ne schisma apud romenos, sine pastore derelictos, iterum irrepere posset, administrationem eparchiae Fogarasiensis sibi a Congregatione de Propaganda Fide petivit: « G. Bizanczj... exponit Eminentissimis Vestris, quod non pridem rev. mus Joannes Pataky Episcopus Fogarasiensis in Transylvania mortuus sit, Episcopatus ergo derelictus et vacans, Provinciis et Episcopis Schismaticis circumseptus, ne casu quo (uti iam antea praedictum fuit) devolvatur in possessionem et regimen schismaticorum,... praedictus orator uti vicinus Episcopus iuxta statuta ecclesiastica supplicat, ut illi conferatur administratio illius Episcopatus Fogarasiensis » (22). S. Congregatio, die 19 ianuarii 1728, petitioni episcopi Mukačoviensis consentivit (23) et Summus Pontifex Benedictus XIII per Secretarium Status, die 6 februarii eiusdem anni, administrationem Fogarasiensis eparchiae Georgio Gennadio Bizancij concessit: « La Santità di Nostro Signore considerando la vacanza

---

(19) *IBIDEM.*

(20) *IBIDEM.*

(21) APF, *Scritt. rif. nei Congressi Greci di C.D.S.T.U.*, vol. I, f. 195-195v.

(22) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 659, f. 229.

(23) WELYKYJ A., *Acta S. Congr. Prop. Fide*, vol. III, p. 242.



della Chiesa di Fogaras in Transilvania, affinché i Cattolici di rito Greco di quella Diocesi non rimangano senza Pastore, si è benignamente degnata di conceder la permissione, ciò che per il Canale della S. Congregazione di Propaganda si possa commettere à Mons. Byzanski (!)... che sino alla provista del nuovo Vescovo di Fogaras eserciti in quella diocesi le stesse facoltà, che gli competono per la sua propria » (24). Sic modo inexpectato finivit molesta controversia. Bizancij non solum [in Maramoroš, sed in tota Transylvania iurisdictionem obtinuit. Hac sibi propitia occasione usus est, ut in Maramoroš iurisdictionem suam ita stabiliret, ut nominato dein novo episcopo Fogarasiensi Transylvaniam eidem cessit, sed in Maramoroš iam definitive remansit, et sic istam provinciam eparchiae Mukačoviensi adiunxit.

Unica difficultas circa iurisdictionem super Maramoroš fuit adhuc anno 1731 per instantiam novi Fogarasiensis episcopi. Anno 1729, ut generatim notum est, Joannes Innocentius Klein, monachus Ordinis S. Basilii Magni, ab Imperatore in episcopum Fogarasiensem nominatus et anno subsequenti a Sede Apostolica confirmatus est (25). Ipse, ordinatione episcopali obtenta, magna cum energia eparchiam suam administrare coepit et ante omnia, iurisdictionem super fideles Maramorošiensis acquirere sibi proposuit. Ea de causa, die 12 martii 1731, litteras memoriales ad S. Congregationem de Propaganda Fide misit, in quibus iurisdictionem episcopi Bizancij super comitatum Maramorosiensem illegitimam esse declaravit et insuper petivit, ut exercitium iurisdictionis in Maramoroš Georgio Gennadio Bizancij prohiberetur: « Episcopus Sebastopolitanus (Bizancij)... quemdam comitatum in Ungariae partibus existentem et episcopatu Oratoris (Klein), tum Apostolica, tum Regia autoritate incorporatum et iam ab antecessore pacifice possessum, conatur omnibus viis et modis abstrahere, insuperque sese Episcopum Maromarosiensem intitulare, quando revera tamquam talis a Sede Apostolica non recognoscatur... Supplicat propterea Orator antedictus be-

---

(24) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 659, f. 230rv.

(25) NILLES N., *Symbolae...*, vol. I, p. LXXVI, vol. II, pp. 501-507.

nignitatem Eminentiae Vestrae pro aliqua provisione huic S. Congregationi benevisa, et praecipue ad... nominatum Episcopum Sebastopolitanum inhiendum, ut praetensione quam habet in dicto Maromarošiensis se absteineat » (26).

S. Congregatio de Propaganda Fide, litteris memorialibus Joannis Innocentii Klein obtentis, de quaestione Maramorošiensis die 12 martii 1731 tractavit et insimul totam controversiam, anno 1725 inter Joannem Pataki et Georgium G. Bizancij ortam, reexaminavit; sed ob insufficientiam informationum nec hac vice quidem decisionem emittere potuit (27). Itaque secretarius S. Congregationis a Nuntio Viennensi, Cardinali Grimaldi, denuo circa iurisdictionem super Maramorošensem comitatum informationes petere obligatus fuit: « Contado (Maramorošense) non è stato mai riconosciuto per Vescovato dalla S. Sede, ma pende tuttavia in questa S. Congregazione indeciso l'articolo della pertinenza di esso, pretesa ugualmente dal Vicario Apostolico sudetto e dal Vescovo di Fogaras, siccome è ben noto all'Eminenza Vostra, la quale con sua lettera de 14 aprile 1725 indicò i motivi, ai quali appoggiavano le parti le loro rispettive pretensioni. Siccome però la S. Congregazione non si stimò allora in grado sufficiente informata per poter procedere alla decisione di tal pendenza, onde in risposta sotto i 7 maggio dell'istess'anno, pregò l'Eminenza Vostra di alcuni lumi ulteriori, così, non essendo poi questi pervenuti, devo nuovamente ricorrere alle grazie di Vostra Signoria per conseguirgli » (28).

Nuntius Viennensis ideo a duobus praedictis episcopis, id est a Joanne I. Klein et Georgio G. Bizancij, expositionem suorum in comitatu Maramorošiensis iurium postulavit. Primus, qui postulationi Nuntii respondit, fuit episcopus Fogarasiensis Joannes I. Klein. Ipse in longa relatione suam renovavit petitionem quoad submissionem comitatus Maramorošiensis eparchiae Fogarasiensis suaeque thesi variis argumentis suffragatus est. Ecce eius argumenta: « 1) Primo, quod Comitatus Maromarošiensis ab immemorabili tempore subiectus fuerit iurisdictioni spirituali Valachicae nationis Episcoporum, etiam schi-

---

(26) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 669, f. 397rv.

(27) WELYKYJ A., *Acta S. Congr. de Prop. Fide*, vol. III, pp. 250-252.

(28) WELYKYJ A., *Litterae S. Congr. de Prop. Fide*, vol. IV, p. 18.

smaticorum in Transylvania residentium, id clare patet, tum ex eo, quod clerus Graeci ritus Comitatus illius eos pro episcopis suis agnoverit et in recognitionem huius, annue certum pensum cathedraticum iis praestiterit. Tum ex eo quod postquam ultimus Episcopus schismaticus Athanasius nomine in anno 1697, se, cum universo clero et populo sibi subiecto, S. Romanae Ecclesiae univisset, comitatus quoque Maramorosiensis clerus et populus cum dicto episcopo unionem hanc inivit... 2) Secundo, postquam unio supradicta inita fuisset,... Pientissimus Imperator Leopoldus Episcopo, clero et universo populo unito complura privilegia in diplomate suo unionis dicto benignissime concessit... sicque privilegiatum clerum et populum unitum in universa Transylvania et Partibus ei annexis iurisdictioni episcopali Athanasii Episcopi uniti, uti prius fuerat subiectus, subiecit... 3) Tertio, modo gloriose regnans Augustissimus Imperator noster... non solum clerum Valachicum in Transylvania et Partibus ei annexis unitum in privilegiis Leopoldinis conservavit, sed et Episcopatum ipsum Valachorum, Graecorum, Ruthenorum et Rascianorum Fogarasim in Transylvania prius non dotatum, noviter fundavit, dotavit et porrexit. Bullamque erectionalem Episcopatus Fogarasiensis a Sede Pontificia impetravit, in qua erectionali Bulla Innocentius XIII Pontifex omnes, et singulos Graecos, Ruthenos, Valachos et Rascianos, qui in universa provincia Transylvaniae partibusque ei annexis degunt ad mentem Clementissimi fundatoris... assignavit... ac clerum et populum a quacumque alia ordinaria iurisdictione divisit et separavit. Cum vero Comitatus Maromarsiensis unus sit ex partibus Transylvaniae annexis et Rutheni, nec in Transylvania, nec in ullo ex partibus comitatu reperiantur (?), utique Comitatus dictus iurisdictioni spirituali Episcopatus Graeci ritus Fogarasiensis, sic noviter erecti auctoritate tum Pontificia, tum Regia et Apostolica, subiectus esse dignoscatur... 4) Quarto, praeallegatis rationibus sic se habentibus, non capio quomodo dictus D. Episcopus Sebastopolitanus et Vicarius Apostolicus Munkaesiensis et se Episcopum Maromarsiensem scribere, cum talis nullus detur Episcopatus, et de iure ad se spectare Comitatum eiusdem nominis praetendere queat » (29).

---

(29) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 671, f. 375-376.

Nuntius, perlecta relatione episcopi Fogarasiensis, eam die 2 maji eiusdem anni ad sedem Mukačoviensem transmisit, ut Bizancij suam deffensionem quamprimum exponere posset (30). Itaque episcopus Mukačoviensis, die 23 maji 1731, in sua informatione argumenta episcopi Joannis J. Klein hoc modo refutare conabatur: « Quod attinet primum punctum... nullus Episcopus Valachorum assignari poterit, qui habuisset iurisdictionem legitimam in praefato Comitatu, consequenter ruit prima pars asserti, quod iisdem quantum Cathedrale tribuissent Marmarosienses, sed neque Athanasius Episcopus in Marmaros iurisdictionem ullam habuit, si quidem tempore Athanasii in Marmoros fuerit Episcopus Josephus Sztojka, neque idem Athanasius ad unionem reduxit, quod vel exinde manifeste patet, quod dum et quando in Ungaria et Transylvania clerus et populus unionem suscepisset, pro tunc comitatus Marmorosiensis se segregavit abhorendo Unionem Sacram taliterque mediante favore Michaelis Apafi de episcopo sibi providit schismatico, nempe praefato Sztojka, qui penes collationem et confirmationem praeattacti Principis Apafi cum plena et absoluta iurisdictione episcopali populum et clerum annis circiter viginti in schismate, confortabat... Secundum punctum nihil facit ad propositum neque continentiae eiusdem quidquam probant... Similia enim privilegia Sua Majestas etiam Episcopo Munkacsiensi et clero eiusdem iurisdictioni subdito ob acceptam unionem contulit; non igitur negamus hanc etiam tribuisse Episcopo Athanasio ob factam unionem in Transylvania; sed ultrone et concedimus. Negamus autem de Marmoros; hic enim eo tum in schismate torpebat... Tertium punctum replica non eget, ex quo nullus negaret fundatum esse Episcopatum Fogarasiensem. Ad ultimas eiusdem puncti clausulas respondeo: quod Comitatus Marmoro-siensis nec potuit, nec potest, neque etiam est divisibilis aut separabilis a iurisdictione Episcopi Munkacsiensis, neque S. Se-

---

(30) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 671, f. 379. Bizancij Nuntio per transmissionem relationis episcopi Fogarasiensis gratias agit: « Pro Paterna eaque gratiosissima Eminentiae Vestrae in me habita reflexione, quam ex gratiosissimis eiusdem litteris, sub dato Vienna 2 maji, ad me una cum copia instantiae Episcopi Fogarasiensis missis et 17a currentis perceptis uberrime experior gratias sufficientes non sum par ».

dis Apostolicae aut Suae Maiestatis Caesareae Regiae mens unquam fuerit per erectionem Episcopatus Fogarasiensis Comitatum Marmorosiensem... a iurisdictione Episcoporum Munkaciensium rescindere... in Comitatibus Dioecesis Agriensis clerus et populus graeci ritus commorans meae spirituali iurisdictioni vigore Bullae subest; ita clerus et populus graeci ritus Marmorosiensis subesse dignoscitur... Sed et hoc, quod sub tertio puncto dom. Illmus Fogarasiensis alegat, quod vero in Comitatu Marmorosiensi: non subsistit. Siquidem comitatus saepe factus fere ex meris Ruthenis constaret, paucis Valachis in districtu superiori Marmorosiensi intermixtis... Ad ultimum: quod si Marmoros a iurisdictione mea avelleretur: Sequeretur, quod in partibus aquisitis nullam haberem iurisdictionem, quam tamen vigore Bullae habeo... » (31).

Hodie nos, relationes Fogarasiensis ac Mukačoviensis episcoporum critice considerantes, paucis verbis supracitata argumenta examinare intendimus: 1) Episcopus Fogarasiensis, ut ex eius relatione constat, historiam ecclesiae dissidentis in Maramoroš omnino ignorabat, secus nunquam affirmavisset universalem Maramorošiensem comitatum ab immemorabili tempore iurisdictioni episcoporum romenorum Transylvaniae subiectum fuisse unionemque cum episcopo Athanasio iniisse; 2) Verum est, saeculo XVIII, comitatum Maramorošiensem « partem adnexam Transylvaniae » constituisse et Imperatorem in decreto erectionis eparchiae Fogarasiensis « partes adnexas Transylvaniae » episcopo romeno huius eparchiae submisisse. Attamen ex alio diplomate patet eundem ipsum Imperatorem, paucos menses ante erectionem eparchiae Fogarasiensis (anno 1720), Marmorosiensem comitatum iurisdictioni Georgii Gennadii Bizancij tradidisse; 3) Bizancij conditionem religiosam dissidentium Maramorošiensium, regente episcopo Josepho J. Stojka, bene diligenterque exposuit, sed oblitus est romenos dicti comitatus saeculo XVII aliquando episcopis Transylvaniae subiectos fuisse; 4) Assertionem de nationalitate fidelium Maramorošiensium in utraque relatione exaggeratae videbantur.

In genere relationes utriusque episcopi magna cum celeri-

---

(31) APF, *Scritt. rif. nelle Congr. Generali*, vol. 671, f. 380-381.

tate ac sine ulla sythematica elaboratione tam historica, quam iuridica factae sunt et pro illo, qui quaestionem Maramoroſiensem nonnisi ex his relationibus cognoscere potuit, magnam confusionem causare debuerunt.

Interim, Nuntius Viennensis, obtenta relatione episcopi Bizancij, eam simul cum relatione episcopi Fogarasiensis sine speciali consideratione Romam, ad S. Congregationem de Propaganda Fide, transmisit, ubi hac de quaestione, die 28 ianuarii 1732, diligenter tractatum est (32). Attamen propter confusionem praefatorum argumentorum, a nemine examinabilium, tota quaestio irresolubilis remansit. In actibus, scilicet, huius Congregationis talis legi potest resolutio: « Dilata, et exhibeantur hinc inde documenta super praetensa iurisdictione in Comitatu Maramarusiensi, et interim scribatur D. Nuntio, qui referat, et exploratis Ministris Caesareis, et curet copiam Caesarei Diplomatis Leopoldi anni 1697, super Unione, eamque transmittat ad S. Congregationem cum eius voto » (33).

Nuntius, die 15 novembris 1732, S. Congregationi rescripsit et insimul omnes suas « explorationes » circa sententiam Aulae Imperialis Cancellariaeque Transylvaniae transmisit. Secundum eius mentem, solutionem quaestionis Maramoroſiensis decisioni Imperatoris de pertinentia politica huius comitatus relinquere oportebat: « ...posso asserire all'Eminenza Vostra, che in seguito de supremi comandamenti coi quali mi hanno imposto, che dovessi io esplorare circa la detta pendenza il sentimento de Cesarei Ministri, essendomi su tal proposito abboccato con questo Cancelliere di Transylvania, ho dal medesimo sentito, che il Contado di Marmoros ha dipenduto sin'ora, per ciò, che riguarda il militare, dal Regno di Ungheria, e per quello, che spetta al politico ed economico dal Principato di Transylvania; Che quantunque detto Contado sia più prossimo al Vicariato di Monkatz, ed abbia questi qualche volta procurato esercitarvi giurisdizione, nondimeno il Vescovo di Fogaras può dimostrarne il suo legitimo titolo, e possesso nel tempo dell'Unione sudetta; aggiungendomi, che pende qui ancora, sopra sette di quei Contadi, tra quali il Marmorosiense, la differenza, se debbano que-

---

(32) WELYKYJ A., *Acta Congr. Prop. Fide*, vol. III. pp., 254-258.

(33) WELYKYJ A., *Acta Congr. Prop. Fide*, vol. III, p. 258.

sti reputarsi di pertinenza del Regno di Ungheria, o pure del Principato di Transylvania, ed essere stato per la determinazione di tal differenza deputato da Sua Cesarea Maestà un particolar Consiglio, da cui, or che è seguito il ritorno della Corte a questa città, sarà forse per uscirne la risoluzione... » (34).

Attamen quaestio iurisdictionis super comitatum Maramorošiensem non ab Aula Imperiali, sed ab ipso Imperatore, anno 1733, resoluta fuit. Nam Bizancij, mense iulio anno 1733, mortuus est et Imperator Carolus VI eius successorem Simeonem Olšavskyj in « Mukačoviensem et Maramorošiensem » episcopum nominavit (35). Hoc modo ultima quoque difficultas episcopi Mukačoviensis quoad iurisdictionem super fideles Maramorošiensis comitatus evanuit.

Hic status Ecclesiae Unitae in Maramoroš saeculo XIX partim mutatus est. Die 6 decembris 1853, per Bullam Pontificis Pii IX, parochiae romenae Maramorošienses episcopo Gherlensi submissae sunt (36). Et anno 1930, pro his parochiis renovata est eparchia Maramuresiensis.

---

(34) APF, *Scritt. rij. nei Congressi Greci di C.D.S.T.U.*, vol. I, f. 214v-215.

(35) PETROV A., *Staraja vera i unija...*, vol. I, p. 26. Ipse episcopus Olšavskyj scripsit: « ...presbyter J. Sztojka cum Jona presbytero... conantur ut e gremio suo quempiam in episcopum eligerent, ex quo vero hoc esset summe praeiudiciosum tum iuri Regio, tum iuri meo, mihi per S. Majestatem Sacratissimam, qua episcopo Munkacsiensi, etiam pro Maramoros collato ».

(36) BALOGH M., *A Marmorosi g. egyház*, pp. 32-33.

## CONCLUSIO

Finem dissertationis nostrae hic imponentes, reliquum nunc nobis est, ut breviter complectemur, quae hucusque de eparchia Maramorošiensis eiusque unione disseruimus. Ex supra expositis patet, Eparchiam Maramorošensem a Principe Transylvaniae Michaelae Apafi per nominationem Josephi J. Stojka in « Maramorošensem episcopum » et a Metropolita Sočaviensi per consecrationem nominati ad eundem titulum, anno 1690, constitutam fuisse. Eparchia haec quoad territorium, cum civili Maramorošiensis provincia identificabatur atque omnes dissidentes ucrainos ac romenos huius provinciae sibi adnumeratos habuit. Primus huius eparchiae episcopus, Josephus Joannes Stojka, suo episcopali regimine durante, catholicismo nunquam favit, econtra, ad obtinenda privilegia « receptae religionis » in Imperio Austriae, non cum catholicis, sed cum calvinistis unionem pactus est.

Josepho J. Stojka anno 1711 vita functo, pro Maramorošiensis eparchia periodus duarum tendentiarum, nempe philo-protestantismi et catholicismi, venit. Novus episcopus Seraphinus Stephanus Petrovan, qui fuit insimul caput tendentiae catholicae, per Athanasium, episcopum unitum Transylvaniae, unionem cum Ecclesia Catholica perficere conatus est. Sed ipse, auxilio sufficienti a catholicis Transylvaniae nullo obtento, propositum suum in vitam ducere haud potuit. Econtra, ad instantiam officialium huius provinciae atque dominorum terrestrium, calvinismo adhaerentium, ab episcopatu depositus et in carcerem detrusus est.

De facto, Unio eparchiae Maramorošiensis haud per romenos Transylvaniae, sed sub directione ac influxu Mukačoviensis episcopi concludebatur. Imprimis enim Josephus Joannes Hodermarskyj, ab Imperatore episcopus Mukačoviensis nominatus, sed a Sede Apostolica non confirmatus, anno 1715 fratrem suum Procopium, OSBM, in comitatum Maramorošensem misit, qui ibi in « synodo Maramoroš-Sihotensi » anno subsequenti unio-



nem 60 sacerdotum Maramorošiensium obtinuit, eosque iurisdictioni Mukačoviensis episcopi submisit. Haec tamen eius unionistica actio ab officialibus Maramorošiensis provinciae, protestantismum profitentibus, semper plurimis laborabat obstaculis.

Ideo Georgius Gennadius Bizancij, episcopus Mukačoviensis, contra officiales administrationis civilis auxilium Imperatoris petivit. Imperator Carolus VI decreto suo, anno 1720 dato, Maramorošiensem provinciam iurisdictioni Mukačoviensis episcopi subiecit. Tali decreto obtento, episcopus Georgius G. Bizancij in persona propria venit in Maramoroš, ibique, visitatione singularum parochiarum peracta, unionem trium partium cleri Maramorošiensis accepit. Proinde, Bizancij vigore decreti Imperatoris se ipsum Maramorošiensem episcopum proclamavit et iam anno 1722 totam Maramorošiensem eparchiam suae iurisdictioni submittere valuit.

Unione Maramorošiensi hoc modo peracta, episcopi romeni Fogarasienses, ad instantiam quorundam sacerdotum romenorum Maramorošiensium, iurisdictionem super hanc provinciam sibi vindicare coeperunt, et magnam litem et controversiam cum episcopis Mukačoviensibus excitaverunt. Ad petitionem Fogarasiensium tota Causa Romam, ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, ad decidendum transmissa est. Sacra Congregatio autem, propter informationes discrepantes, immo contradictorias, ad nullam decisionem procedere voluit et ita solutionem quaestionis Imperatori reliquit. Imperator vero, Mukačoviensibus semper favens, anno 1733 per nominationem novi Mukačoviensis episcopi Maramorošiensem provinciam iam modo definitivo iurisdictioni huius episcopi assignavit.

Ad complendum vero paucis verbis opus nostrum, de unione Maramorošiensis eparchiae speciali modo conscriptum, breviter ipsum actum unionis Maramorošiensium hic delineamus. Itaque, imprimis, dicendum est, unionem Maramorošiensium haud ullo actu universali evenisse. De facto unio haec stabilita est tribus eventibus separatis:

1) Anno 1716, in synodo Maramoroš-Sihotiensi, sub directione Procopii Hodermarskyj, Unionem accepit 25 % tantummodo cleri Maramorošiensis.

2) Anno 1721, tempore visitationis episcopi Georgii Bizancij in Maramoroš, Unionem subscripsit 75 % cleri Maramorošiensis.

3) Anno 1722 clerus etiam romenus iurisdictionem episcopi Mukačoviensis agnovit. Hoc anno, paucis exceptis, universalis Maramorošiensis clerus cum Sede Apostolica Romana iam unitus fuit.

Auctores vero huius unionis fuerunt:

1) Episcopus Seraphinus Stephanus Petrovan, qui unionem Maramorošiensium praeparavit.

2) Procopius Hodermarskyj, monachus Ordinis S. Basilii Magni, qui unionem inchoavit et de eius sustentatione curavit.

3) Episcopus Georgius Gennadius Bizancij, qui unionem Maramorošiensium ad perfectionem finalem porrexit.

---

LAUS DEO ET BEATAE VIRGINI MARIAE



## INDEX NOMINUM

- ABOV, comitatus 14.  
AGRIA, op. 68n. - Episcopus 19. 63.  
64. 66. 68. 74n. 75. 77. 86. 87. 88.  
96. - Synodus 59n.  
ALBA JULIA, op. 12. 13. 14. 35.  
40n. 43. - Ep. 17. 45. 74n.  
ALEXIUS, parochus Kirvensis 79.  
ALMAZIG, pag. 7.  
ANDRELLA Michael 27n.  
ANGHEL Athanasius, Ep. (AEp.,  
Metropol.) Transylvan. (1698-  
1713) 41. 42. 43n. 45. 48. 52. 87.  
94. 95. 96. 99.  
ANTONIUS IV. Patriarcha Con-  
stantinopolitanus (1391-1397) 6. 7.  
APAFFI Michaël I, princeps Tran-  
sylv. (1661-1690) 19. 20. 22. 87.  
95. 99.  
APAFFI Michael II, 2.  
APŠA, protopresbyter 88.  
ATHANASIUS S., Collegium graec.  
Romae 59.  
ATHANASIUS, Ep. un. Transyl-  
van. - v. Anghel  
AUSTRIA 1. 28. 30. 40. 42n. 44.  
91. - Imperator 1. 3n. 58. 60. 61.  
62. 64. 65. 66-72. 76. 81. 83. 85.  
89. 92. 94. 96. 98. 99. 100. - Impe-  
rium 2. 14. 33. 73. 99.  
AUSTRIACI 20n.  
BALICA (Balk) 6. 7. 8. 9.  
BARSANOV, monasterium OSBM  
55n.  
BASILIANI, procurator 75. - v. Ho-  
dermarskyj Procopius, Kaminskyj  
Petronius, Klein Joannes, Rako-  
veckyj Methodius  
BATHORY, familia 3n.  
BATHORY Gabriel 11.  
BATHORY Sigismundus 11.  
BATHORY Sophia 14.  
BATIZHAZA, pag. 35.  
BELGRAD, op. - metropolia 82.  
BENEDICTUS XIII, Papa 81. 91.  
BEREGH (Bereg) comitatus 9. 12.  
14.  
BERZAVA, pag. 7.  
BETHLEN Gabriel, princeps Trans-  
sylv. (1613-1629) 2. 12.  
BETHLEN Josephus, comes 68.  
BETHLEN Nicolaus 30.  
BIZANCIJ (Bizancy, Byzanski),  
Ep. Mukačov. (1716-1733) 19.  
41. 50. 52. 59. 63. 64. 65. 66-80.  
85-93. 95-98. 100.  
BOCKOV (Bocskó) 19. - dominium  
3n. - parochus 62. 78.  
BOCSKAY Stephanus 2.  
BOHDAN, vojvoda 5. 6. 41.  
BOLVANUS, pag. 7.  
BRANKOVIC Sava, Ep. 14. 27.  
BUCURESTI, op. 35.  
CAMILLIS, v. De Camillis  
CAROLUS VI, Imperator (1711-  
1740) 65. 66. 72. 82. 98. 100.  
CARPATI montes 37.  
CECHOSLOVAKIA 2.  
CHICO, pag. 7.  
CHUST, arx 11n. 33. 67. 68.  
CIRKA Job Joannes, Ep. Mara-  
moros. 34. 35. 36. 37. 58. (Czirka).  
COLOUZ 77. v. Kolozs, Cluj  
CONGREGATIO de Propaganda Fi-  
de 27n. 44. 45. 46. 47. 58. 73. 74n.  
75. 76. 89. 90. 91. 92. 93. 97. 100.  
CONKA, familia 3n.

- CONSTANTINOPOLIS 6. - patriarcha 6. 7. 8. 20. 21.  
 CRASNA, comit. 11.  
 CSUMOLYFALVA (čumaljovo, Czumolfalva), pag. 18. 19.  
 CZIPLE Alexander 14. 18.  
 CZIPLE Simeon 24n. 28. 30. 35n.
- DE CAMILLIS Josephus Joannes, Ep. Mukač. 15. 17. 18. 19. 27n. 50. 57. 58. 71. 72. 78n.
- DE SAXONIA Christianus, primas Hungariae (1707-1725) 43. 44. 65.
- DOBOKA (Deboca), comit. 11.
- DOLHA, pag. 41.
- DOLHAY Georgius, capitán. 33. 34.
- DOSITHEUS, Ep. Maramoros 12. 55n. - v. Teodorovyč
- DOSITHEUS, Metropolita Sočaviensis 20.
- DRAG 6. 7. 8. 9.
- EDTLBEK Antonius Rudolphus 62. 80.
- ERDODY Gabriel, Ep. Agriensis 64. 68n. 86. 87.
- ESZTERHAZY Nicolaus 12.
- EUROPA Occidentalis 2.
- FERDINANDUS Habsburg 1.
- FERDINANDUS I, Imperator (1556-1564) 42.
- FOGARAŠ civ. 94. - dioec. 80. 81. 82. 85. 91. 92. 93. 95. 96. V-Ep. 85. 86. 88. 90. 91. 92. 93. 95. 96. 97. 100.
- FOLGAR Georgius, Ep. 75. 77. 86.
- FYLYPOVYČ Polycarpus, OSBM, nom. Ep. 58. 59.
- GEDEON III, Metropolita Sučavien. 41.
- GEMER, comit. 14.
- GHERLA, Ep. 98.
- GREGORY, 12n. - v. Hryhorovyč
- GRIMALDI, Card. Hieronymus, Nuntius Vien. 93.
- HABSBURG 1. 3. 39.
- HALICIA 5. 20. 24. 59.
- HEVENESI Gabriel, S. J. 40. 42n. 44. 46. 47n. 52.
- HILARIUS, Abbas Hrušov. 9.
- HODERMARSKYJ Josephus Joannes, nom. Ep. Mukač. 58. 59. 60. 62. 63. 64. 66. 87. 99.
- HODERMARSKYJ Procopius, OSBM 54. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 67. 69. 70. 78. 79. 80. 86. 87. 88. 99. 100. 101.
- HORVATH Gabriel 53.
- HORVATH Samuel 53.
- HRUŠOV (Körtvélyes), Abbas 7. exarchatus 21. - monasterium Sti Michaelis 5. 6. 7. 8. 9. 10. 21. - protopresbyter 79.
- HRYHOROVYČ Joannes, Ep. Mukač. (1627-1633) 10n. 12.
- HUNGARIA 1. 2. 3. 4n. 5. 6. 9. 27. 33. 37n. 39. 46. 51. 52. 55. 58. 60. 72. 79n. 92. 95. 97. 98. Primas H. v. Strigoniensis AEpiscopopus
- HUNGARI 1. 3.
- HUNYADY Joannes 4.
- IRHOCZ, pag. 31. 32.
- JASSI, civ. 41.
- JESUITAE (Societas Jesu) 29. 40. 42n. 44. 46. 47. 48. 49. 52. 74n.
- JOANNES de Dolha 41.
- JOANNES, Ep. Mukač. 9.
- JONA, presbyter 98n.
- KAMINSKYJ Petronius, OSBM 35. 37n. 50. 58.
- KASZO (Košice), op. 88n.
- KENDI Thomas 11n.
- KIRVENSIS, parochus 79.
- KLEIN (Micu) Joannes J., OSBM., Ep. Fogaraš. 81. 82. 92. 93. 95.
- KOLLONITS, Card. 43.
- KOLOZS (Colozs, Kolozsvár, Cluj) 77. - archipresb. 85. - comit. 11.

- KORNIS Sigismundus, gubernator Transylv. 80. 86.
- KOVACS Albertus, Ord. Minorum 86.
- KRIČFALUSI, familia 3n.
- KRYCOVO, pag. 18. 19. 80n.
- KUCKLAENDER, baro, capitaneus 67. 68.
- LADISLAUS V, Rex 8n.
- LARIUS (Hilarius), Ep. Mukač. 9. 10.
- LEOPOLDUS I, Imperator (1657-1705) 28. 39. 71. 72. 76. 94. 97.
- LIPPAY G. 27n.
- LUDOVICUS I, Rex Hungariae (1342-1382) 4. 5. 6.
- LUPUL, familia 3n.
- MAGOCSY Franciscus, dominus Mukač. 11. 12.
- MARAMOROŠ (Marmatia, Marmaros), Marmarosiensis 1-15. 17-25. 27. 29-31. 33-37. 39-41. 48-71. 73-79. 81-83. 85-101.
- MARAMOROŠ-SIHOT, civ. 13. 22. 31. 62. 79. 80. 86. 99. 100.
- MEGYESALYA, pag. 7.
- MICHAEL, princeps Valachus 11.
- MICHAEL, sacerdos de Apša 88.
- MIHALYI Joannes 8.
- MOHACS, op. 1. 4.
- MOJSENIJ Joannes, sac. 53.
- MOJSZIN, monasterium OSBM 12n.
- MOLDAVIA 5. 6. 19. 24. 40. 42. 69.
- MOLODEC Michael, Ep. Maramoros. (1653-1662) 14.
- MUKAČIV (Munkacs) 15. 33. - eparchia (sedes) 9-14. 17. 26. 37. 41. 50. 57. 58. 59. 64. 70. 71. 72. 73. 77. 78. 95. 97. - episcopus 10. 11. 15. 17. 21n. 52. 57. 60. 61. 62. 65. 66. 68. 70. 74. 77. 78. 79. 80. 85. 87. 88. 89. 90. 91. 93. 94. 95. 96. 98-101. - monasterium S. Nicolai 12n. 15. 59. 68n.
- NAGYSZEGHY Gabriel, 30.
- NEFFCZER, commissarius 62.
- NEMEŠ, familia 3n.
- NERESNICA, pag. 70.
- OLOMOUC, op., Pontif. Seminarium 59.
- OLŠAVSKYJ Emanuel, Ep. Mukač. (1743-1767) 55n.
- OLŠAVSKYJ Simeon, Ep. Mukač. (1734-1737) 79n. 98.
- PACHOMIUS, abbas monasterii Hrušov. 7.
- PATAKY Joannes, Ep. Fogaraš. 80. 81. 85. 86. 88. 89. 90. 91.
- PAUGARTNER Georgius Franciscus, inspector 62.
- PEREHINSKO, monasterium OSBM 20.
- PETRAŠKO Simeon, 13.
- PETRONIUS, Ep. Mukač. (1623-1627) 12.
- PETROVA, pag. 41.
- PETROVAN, famil. 3n. 41.
- PETROVAN-FYLYPČUK, 42.
- PETROVAN Georgius, capit. 42.
- PETROVAN I, colon. 42.
- PETROVAN-IVANYK, 42.
- PETROVAN Laurentius 42.
- PETROVAN-MICHALKA, 42.
- PETROVAN Seraphinus Stephanus, Ep. Maramoros. (1711-1717) 39. 40 (Petrovay). 41-46. 48. 49-55. 57. 63. 69. 71n. 73. 99. 101.
- PETROVYČ Parthenius, Ep. Mukač. (1651-1665) 14.
- PIUS IX, Papa 98.
- POGANY A., vicecomes 34n.
- POLONIA 37n.
- POP Demetrius, Ep. Maramoroš. (1637-1639) 12. 13.
- POPA Joannes, parochus 24n. 31 (Pap). 32.

- POPOVICS Joannes, parochus 31.  
 RABUTIN, generalis 30.  
 RACHIV, pag. 70n.  
 RACZ Michael 53.  
 RAKOCZY Franciscus II, (1703-1711) princeps Transylvan. 2. 3n. 33. 34. 35. 36. 37. 39. 58. 60. 62. 72. 73.  
 RAKOCZY Georgius I, (1630-1648) 2. 13.  
 RAKOCZY Georgius II (1648-1657) 13. 14.  
 RAKOVECKYJ Methodius, OSBM 15.  
 REČKO Sophronius, Ep. Mukač. 12.  
 REDNIK Basilius, protopresbyter 79. 85n. 86. 88.  
 ROMA 17. 44. 59. 97. 100.  
 ROMANIA 2.  
 ROMENI 1. 3-5. 9-15n. 22. 25-28. 30. 34. 36. 40. 57. 71. 77. 79. 80. 85. 86. 88. 91. 96. 98. 99. 101.  
 ROSALIA, pag. 42.  
 RUSKA, pag. 42.  
 RUS' 21.  
 RUS' Subcarpatica 2. 4.  
 RUTHENI 5n. 94. 96.  
  
 SABOLČ (Sabolcs, Szabolcs, Zabolh) comit. 12. 14. 42.  
 SACRIPANTE, Card. Josephus 44.  
 SAROS, comit. 12. 14 (Sariš). 59.  
 SAS, vojvoda 6.  
 SATMAR 39 (Zatthmar.), comit. 6. 8. 14. 27.  
 SEBASTOPOLITANUS Ep. 94. v. Bizancij  
 SERGIUS, Ep. Mukač. (1600-1616) 10n. 11. 12. 15.  
 SEVLJUŠ, civ. - synodus 59n.  
 SIHOT, civ. 13. 22. 31 (Szigeth). 62. 79. v. Marmaroš-Sihot  
 SILVESTER, hegumenus 13.  
 SIMONVIČ Stephanus, Ep. Alba Juliae 13.  
 SOČAVA (Szocsava), metropolita 19. 20. 21. 41. 99.  
 SOLNOK (Szolnok, Zolnok) comit. 11. 42.  
 SPIRIDON, Ep. 11.  
 SPIŠ, comit. 14.  
 STAN, familia 3n.  
 STEPHANUS S., Rex Hungariae 3.  
 STOJKA, familia 3n. 19.  
 STOJKA Joannes, protopresb. 79. 88.  
 STOJKA Josephus Joannes, Ep. Maramoroš. (1693-1711) 3n. 15. 17. 18. 19 (Sztójka). 20. 21-25. 27-37. 39. 42. 49. 51. 58. 87. 95. 96. 98n. 99.  
 STOJKA Ladislaus, vicecomes 60. 61.  
 STRIGONIENSIS AEp., Primas Hungariae 41. 43. 44. 46. 47. 52. 63. 65. 66. 68. 74. 86.  
 STRYJ, civ. 20.  
 STRYNUM, loc. 19. - v. Stryj  
 SUVOROV 21.  
 SVAININGER 60n.  
 SZABOLCS - v. Sabolč  
 SZAPLONCZA, pag. 21. 24.  
 SZARVASZO, pag. 31n.  
 SZIGETH 88n. 90. - v. Sihot, Marmaroš-Sihot  
 SZOCSAVA - v. Sočava  
 SZUNYOGH Franciscus, S. J. 41. 43.  
  
 TARASOVYČ Basilius, Ep. Mukač. (1633-1651) 10n. 11n. 13. 14. 15. 87.  
 TARCZALI Sigismundus 52.  
 TEODOROVYČ Dositheus, Ep. Maramoroš. (1715-1735) 40. 55. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 80. 81. 82. 83. 87. 88. 90.  
 THEOPHILUS, Ep. Alba Julien, 35.  
 TIBISCUM, fl. (Tisa) 5.  
 TISMANENSE monasterium 11.

- TOKAI, civ. 42.  
 TOKOLY Emericus, princeps Transylv. 2. 10n. 15.  
 TORDA (Thorda), comit. 11.  
 TRANSYLVANIA 1-4. 11-15. 19. 20. 24-28. 30. 33-36. 39-41. 43. 46. 47. 49. 52. 57. 60-62. 65-67. 69n. 77. 80. 81. 86-89. 91. 92. 94-99.  
 TURCI 1. 20. 72.  
 TURNA, comit. 14.  
 UCRAINA Carpatica 2. 12n. 21n. 26n. 50.  
 UCRAINI 1-5. 9. 10. 12. 15n. 22. 26. 27. 37. 42. 57. 76-78. 85. 88. 99.  
 UGLA, pag. 42. - monasterium OSBM 34. 40. 64. 80. 82.  
 UGLYAY, familia 3n.  
 UGOTSA (Ugoča), comit. 8. 14.  
 UNGH, comit. 12. 14 (Uh).  
 UNIO Sovietica 2.  
 UZHOROD, op. (Ungvár) - unio 14. 27n. 71.  
 VAJNAG, pag. 31.  
 VALACHI (Romani) 5. 28. 40n. 43. 44. 60n. 65n. 93. 94. 95. 96.  
 VALACHIA 11. 42.  
 VIENNA (Vindobona) 52. 68n. 95n. Nuntius Ap. 75. 76. 89. 91. 93. 95. 97.  
 VLADISLAUS II, Rex Hungariae 9.  
 VOLCSHOCZENSIS (Vulchovien-sis) presbyter 79n.  
 ZAMOSC, synodus 59n.  
 ZAPOLYAI Joannes I. 2.  
 ZEJKAN Joannes, Ep. Mukač. 10n. 14. 15. 23. 87.  
 ZEMPLIN, comit. 12. 14.  
 ZILAGYSAG, pag. 7.





